
THE TRVSTEES OF THE
PVBLIC LIBRARY
LVX
OMNIVM
CIVIVM
OF THE CITY OF
BOSTON
1852 : 1878

To Doctor Channing
With great respect, from the
Auth

DISPUTATIO PATHOLOGICA

INAUGURALIS,

DE QUIBUSDAM

CEREBRI TUMORIBUS.

DISPUTATIO PATHOLOGICA
INAUGURALIS,
DE QUIBUSDAM
CEREBRI TUMORIBUS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ABRAHAMUS SOLOMON,

Anglus:

COLLEGII REGII CHIRURGORUM LONDINI SOCIUS.

Pridie Idus Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiæ Typographus.

MDCCCX.

Walter Channing M.D.

Dec. 18, 1856

PATRI MEO DILECTO,

CURAE PATERNAE MEMOR

QUA ME VIRTUTIS ET SCIENTIAE

AMORE INSTITUERE

SEMPER SOLICITE CONATUS EST,

HANC DISPUTATIONEM INAUGURALEM,

ANIMO GRATISSIMO

SACRAM VOLO

ABRAHAMUS SOLOMON.

VIRIS EXIMIIS

THOMÆ RENWICK, M. D.

ET

JACOBO VOSE, M. D.

DE LIVERPOOL,

S. P. D.

AUCTOR.

Amici carissimi, hoc opusculum patrocinati, simul meos conatus illustrastis, et occasionem praebuistis studium erga vos publice ostendendi. Jam diu vestram amicitiam expertus, exemplo imitando et consiliis optimis, ad vitam mihi praeclaris laboribus honestandam, incitor. Spero cupiditas bene de talibus bonis et sapientibus merendi, mihi in futurum illum amorem conciliaret, quo juvenem adhuc fovistis. Vobis sacravi hanc disputationem, cum illius benevolentiae memor, qua me dignati estis, et virtutes et ingenium admiratus, quae vobis per omnia vitae officia enitent, tum etiam ut aliquid famae huic operi acquirerem, prorsus alienae ab ejus pretio, qualecunque sit, uti de quaestione chirurgica conscriptae. Toties vero mihi proficiendi desiderium, exhibuistis, ut non simul meas voluntati et utilitati consulere nolletis. Semper animo et corpore felicibus perfruamini, solicite precor. Valete.

Edinburgi: Pridie Idus Sept. MDCCCX.

PRAEFATIO.

Hoc opere conficiendo, mihimet proposui rei medicae expertos ducere ad studium proprium quorundam tumorum, qui nondum videntur satis accurate fuisse definiti; et quorum natura hucusque tenebris implicatur.

Inquisitionis igitur, quam suscepi, finis est, praesertim ostendere, scriptores medicos iis vocibus, *Hernia* et *Fungo Cerebri* confuse et sine idoneo discrimine usos esse, ad pleraque mala designanda, quae, naturam, causas et curationem, re perpensa, plurimum inter se discrepare, et contraria esse, apparent; ideoque haec mala, indagationem accuratam et acerrimam medicorum desiderare.

Ad propositum rite exequendum, *inductioni* verae mihi visum est potissimum insistere; rebus ipsis, unde ratiocinatus sim, auctoritate spectatissima innixis.

Inter hanc rationem sequendam, quamvis nunc usitatissimam inter scientiae cultores, difficile erit non vi-

deri paulo audacius et arrogantius sententiis virorum magni nominis adversari. Defensionem vero e verbis facundi illius Burke mihi deducere liceat: "to exert reason is not to revolt against authority; reason and authority do not move on the same parallel." Haud dubitandum est quin ingenio et literis exornatos colere, et ad eorum judicium quaestiones referre, sit observantiam et reverentiam debitas persolvere: mentem vero in rebus momentosis auctoritati meri nominis submittere potius habendum est ingenii hebetis, quam sincerae modestiae aut sapientiae. Quae sentiunt medici insignes in medium prolata, nequeunt non longe et late accipi, aut non maxime in curatione morborum valere, admodum aut laesura aut adjutura; quae ideo, accerrime, vera sint an falsa, quaerendum; neque talis inquisitio sane vana aut inutilis aestimanda. Quocirca, confido lector ingenuus mihi facile ignoscat, quod paulo liberius virorum jure summi habitorum sententias inquisiverim; quorum ingenium lubenter idonea existimatione habeo, et quibus grates ago, pro scientia, quam, eorum scriptis perlectis, arripui.

Hac vero ratione argumentum tractandum.

I. Quaedam generalia praefanda, quae doceant, quantum necesse est vetusta capitis icti curatio valuerit ad tumores, de quibus scribere statui, pariendos; et

simul quaedam observanda de tenui ista et inepta oratione, qua plerique scriptores eorundem naturam perstrinxerunt.

II. Brevi sermone proferenda, quae huc pertinentia e libris scriptorum nuperorum celebrium sint excerpenda; quibus accedere licet quaedam exempla non antehac in lucem edita, quae mecum amici spectatissimi benigne communicarunt.

III. et IV. Perscrutandae erunt horum tumorum propria natura, causae et curatio; ut inde invicem collati discernerentur, et ad classes proprias referrentur.

V. Quaedam adjicienda, de Fungo Durae Matris, morbo, qui cum tumoribus, de quibus disputavi arcte committitur.

VI. Denique, huc accedunt ANNOTATIONES, ampliores, quam quas convenisset propriis paginis subjicere; et APPENDIX, exempla, de quibus dixi, sermone ampliore et proprio complectens; quorum scilicet descriptionem longam alicubi protulisse haud incommodo vacasset.

It appears very probable that the disease, generally described by the term hernia cerebri, *consists of a tumour formed by coagulated blood; for an organized* fungus *could hardly be produced in so short a time as that in which these tumours are usually formed.*

Abernethy's Surgical and Physiological Essays, Part III. p. 40.

There may perhaps be tumours of various kinds, arising from the pia mater and brain; but if there are such, I believe they have not been discriminated; *nor have I found an account of any in the writings of authors, which did not resemble those I have described. They have generally been treated of under the name fungus, or hernia cerebri, &c.*

Idem, p. 44.

DISPUTATIO PATHOLOGICA

INAUGURALIS

DE QUIBUSDAM

CEREBRI TUMORIBUS.

AUCTORE ABRAHAMO SOLOMON.

CAPUT PRIMUM.

SECTIO I.

Scientiam nullam utilem esse, aut exquisita dignam, nisi qualis humani generis felicitati conciliandae, aut malis levandis accommodatur, adeo manifestum est, ut plena oratione idem protulisse supervacuum esset. Nihil vero majoris est momenti hominibus, quam quicquid

ad sensum et intellectum pertinet: ideoque mala, quibus horum instrumenta opportuna sunt, medicis potissimum sunt excolenda. Proinde cultores artis salutiferae semper ingenia exercuere in malis, quibus cerebrum patet, indagandis. Opera Hippocratis, Aretaei et Celsi ex antiquioribus; Morgagni vero, Haller et Baillie inter recentiores, hujusmodi scientiae sunt uberrima; neque parum huic rei lucis attulerunt. Tantum laudis accuratio et acies quaesitissima, et diligentia his scrutatoribus merito conciliarunt, ut hodie etiam eorundem opera soli fere commentarii existimantur, unde harum rerum studiosi scientiam exquirerent. Non possumus igitur non plurimum admirari, inter tantam abundantiam, qua haec opera ditantur, tantulum inveniendum esse de tumoribus, qui Fungi vel Herniae Cerebri vocari solent.

Inter initia, dum homines inculti rei chirurgicae rudes erant, ratio inhabilis, quae invaluit, caput laesum curandi, necesse est haud raro hanc gravem cerebri noxam genuerit: quo tempore scilicet, medici consilium, quid manu vul-

nerarius moliatur, decrevit. Nondum corporis humani fabrica fuerat intellecta; aut miris, quibus obsequitur, legibus, aut vitae principii dotibus, ea inventa praeclara lucem affuderant, quibus ingenium nuperorum celebrium medicinam auxit et ornavit.

Viri antiquiores, inscitia et barbarie obruti, eo carentes auxilio, quo tanto fructu recentiores nixi sunt; nimirum, sani aut aegri corporis humani structura et legibus compertis, certi consilii egeni, aliquid subsidii petere conati sunt, acriter inspectis ossium figura, ordine, fabrica, horumque fere sorde corruptorum, et multo post exequias effossorum: quam solum *anatomes* partem perscrutari et cognoscere tunc temporis licuit.

Nusquam vero antiqui vulnerarii pejus curarunt, quam ubi ea tenui et manca de ossium fabrica scientia, ad icti capitis rationem et curationem exponendas, uterentur. Quanquam amplissime de his rebus scripserint, contra tamen artis medendi profectum, omnia fere consilia et curationes instruxerunt, non injuriae ipsi

cerebro ictu illatae, sed figurae, ordinis et fabricae ossium calvariae ratione habita. Perperam igitur et imperite ea perobscura luce, quam fuerant adepti, usi sunt. Hinc varias calvariae formas et proprietates, aliis alias, intellectu dignissimas judicarunt, prae quibus variantibus, ossium fracturas multiplicis esse generis statuerunt. Hinc studio acerrimo rimam ossis fissi a sutura discernere sunt conati: hinc, porro, osse fisso, aut scisso et intus subsidente, nunquam non ferramentis utendum existimarunt.

Talem igitur medicinam chirurgicam apud veteriores nobis contemplantibus facile videretur, eos mori temporum obsequentes famam persequi solitos esse, plurimis istis et multiplicibus manus et ferri laboribus, quos inepte ingeniosi invenerant, perite exactis. Inter hanc inscitiam, ubi medici consilium ante initum, quid manus artificis faceret, imperavit, in omni capitis percussi injuria, semper ferramentis uti solebant: maxima opera, os necne finderetur, exquirebant; rimam jam detectam ferro ampliarunt; os sidens, etiam levissime, arte levarunt; et saepe,

quae calvariam tegunt, imo *pericranium*, ample sustulerunt, ipsa patefacta vel etiam sublata; neque contenti esse consuerunt, quod memoratu dignum, ni tandem, ut os explicetur, fecissent[a]. Quae quantum necesse est curatio nocuerit, jam diu (rei medicae felicissimum, et summa laus nostris temporibus), obsoleta et rejecta, cuique, re perpensa, lucide patebit. Rete vasorum multiplex, quo integumenta, *pericranium*, ipsa calvaria, et dura mater consociantur, ferro dissolutum, non graviter nocere non potuit: et quia curantes amplissime calvariam patefacere solebant, integumentis vel ictu antea partim diruptis et dissolutis, vel prorsus ferramento, ad subjecta introspicienda, quo postea melius calvariam perterebrare intelligerent, dura mater inde saepe non graviter inflammari nequibat[b]. Vasa, quibus haec haeret calvariae, rupta, et tutamen, quod cerebrum e calvaria cingente et quasi fulciente capit, sublatum, plurimum operae ad tumores, quos prosequor, inferendos contulerunt. Hic profecto multo facilius dura mater inflammabitur; exulceratio, et hujus propria, interdum

sequuntur, et cerebro, inde omni fulcro et adminiculo privato, magna proclivitas efficitur ad horum tumorum ortum. Antiquiores, semper, ut os explicetur, opera summa nixi, vi naturae salutiferae partes dissolutas novare molienti repugnarunt, eoque opportunius cerebrum huic morbo reddidere; quos unde idem scriptis saepius mandasse, statuere licuit; quod tamen contra se habet. Aliquis profecto amplissimam ejus rationem ab eorum scriptis peteret, quorum curatio tantum ad idem gignendum valuit.

Proximum est igitur, ut requiramus, quare chirurgi morbum tantuli fecerint, qui non creberrime accidisse, ut supra docuimus, non potuit. Inter causas, unde tam insignis incuria provenerit, nobis veri simile videtur, principem extare parum honestam consuetudinem ea solum hujus malae curationis exempla memorandi, quae feliciter desierint; infelicibus, certe non paucis, omissis. Veteres et quidam recentiores omnia mala tam arcto vinculo cerebro adjuncta, et ejus munera tantum impedientia ipsi vitae

discrimen minitari existimare soliti, praeter modum soliciti, et prae sua imperitia, semper vani timoris genitrice, artem visceri ad vitae actiones adeo necessario adhibere valde pertimescentes, (quod temerarium, et audacissimum judicarunt) miserum immedicabili malo certo periturum deseruere. Nil mirum igitur, si aestimantes ipsa hujus mali principia medendi artem devictam, ipsumque occisurum indicare, tandem defatigati de malo conticuerint, quod lethale persuaserat inscitia, effecerat inepta curatio.

SECTIO II.

Eo fusius disserui de prava cerebri et calvariae curatione hunc morbum crebriorem pariente, quod Hill optimi ingenii scriptor, qui nuper summa laude Dumfreiae medicinam fecit, quo florente, nondum veteres errores obsoleverant, longe plurium exemplorum tumorum cerebri meminit, quae ipsi unico curare contigerat, quam quae quivis alius, quantum scio, praeterea. Lugendum vero ne hunc quidem eximium

virum, auctorem magnae laudis, et plurimi inter medicos habitum, speciem, indolem propriam aut externas notas horum tumorum depinxisse, quos toties inter curandum cognoverat, et ad sanitatem duxerat. Eo quod de his prorsus siletur, maxime admiror. Etiamsi vero omnium fere medicorum libri rei tam gravis sint adeo steriles, et quasi conticeant, grates tamen huic auctori persolvendum, qui tot edidit horum tumorum exempla : quod vero hos minoris habuit, eoque vix operae pretium hujus mali naturam perscrutari sensit, deplorandum. Scriptorum ejus studiosi spe destituuntur, quod medicus eruditus, ingenuus, artis medicae peritissimus, scientiaeque ornandae et augendae cupidus, tantis copiis et occasionibus praeditus, penitus hanc gravem argumenti partem omiserit.

Nihil vero omnino magis vetuit, quo minus horum tumorum periculosorum naturam detegamus, quam infelix ista consuetudo, scientiae provehendae inimicissima, quae tantum inter auctores invaluit, leges certas instituendi et sententias firmandi ex iis, quae pauca et abnormia

exempla docuerint; qua, unico forsan exemplo, morbi naturam, qualem semper induit, statuunt. Si quis animo etiam leviter prosequatur Fungi Cerebri descriptiones quas protulerunt viri eximii Abernethy et Carolus Bell, quod dixi, verum esse perspiciet; lugebit perspiciens hos celebres viros raris fretos exemplis, temere de hac re judicasse; prae ingenio, doctrina usuque multo, aliter naturae hujus tumoris explicandae habilissimos. Perlectis sane medicorum libris, tot et tam inter se diversas sententias jure miramur, et pertinax istud studium, quo suum quisque prosequitur. Nullo super argumento tam obscure disputarunt; nunquam verba tenebris altioribus amicuerunt, aut ipsi magis hallucinati sunt, e vanis rationibus, prius temere acceptis, fonte errorum feracissimo, ratiocinati. Saepe medicis vitio versum est, quod omnia stricto sermone definiendi justo magis studiosi sunt. Hoc vero orationis genus, quo breviter et lucide morbi et quae ad *anatomen* pertinent, ordinantur et definiuntur, omnibus superfuit inimicis. Si ad propositum morbum ani-

mum appellamus, si quam inconcinne de eo medici egerunt, alii alias sentientes, si quam absurda nomina apposuere, observemus, fere suspicamur eundem istam habere difficilem naturam, ut intra limitem, quo solet contineri definitio, ejus descriptio non sit cohibenda.

Ubicunque licet ex idoneis principiis rerum distinctiones perspectas instituere, necesse est inde scientia multum proficiat. Collatis igitur inter se aliis atque aliis hujus morbi rationibus, quas singuli e paucis exemplis duxerunt, liceat, ni fallor, memet accingere ad hos tumores inter se discernendos, eorumque genera diversa statuenda; (quod nemo adhuc, ut existimo, perfecit) quantum e libris parum sane lucidis, aliisque auxiliis, haec potui cognoscere.

Hoc consilio, quaedam exempla subjiciendum, e scriptis maxime insignium inter hodiernos excerpta, qui animum ad hoc malum indagandum appulerint.

CAPUT SECUNDUM.

Cerebri tumores, de quibus scribere proposui, nuper acriori studio prosecuti sunt Abernethy et Carolus Bell; et quae tam praeclari viri de iisdem sentiant, nequeunt non plurimum apud medicos valere; in capite proximo brevissime exposui res ipsas quas observarunt, et rationes inde deductas; subjectis binis exemplis oratione tenuissima enarratis, neque antehac in lucem editis. Appendix ipsa exempla sermone vernaculo fusius descripta complectitur.

SECTIO I.

Imprimis illa exempla, quae Abernethy protulit, memorandum.

Exemplum primum.—Quatuordecim annos nato, qui praeceps e tabulato deciderat, ossa frontis et parietis multum siderant. Parte cal-

varie sublata, plurimum cruoris infra inveniebatur, cerebrum et duram matrem opprimens. Sanguis, qui, cruore remoto, fluxit, ex arteria meningea magna rupta proficisci videbatur: calvaria ter terebrata est, quo nudaretur arteria vulnerata, et calvariae pars ante dura matre privata tolleretur. Tertio ossis circulo terebra remoto, cerebrum ad sedem justam assurrexit, et sanguis fluere desiit. Dein parte calvariae, quae intus siderat, evulsa, patefiebat durae matris, quantum e calvaria fuerat disjunctum.

Aeger initio sensus expers, inquies nunc se jactare coepit, et tandem dolorem fuit questus. Tunc sanguis ad XII uncias eliciebatur; postero die mane, alvo plenius purgata, medicamenta *salina* cum praeparatis e stibio dabantur. Interdiu quaerentibus prudenter respondit, sed capitis questus est dolorem et vertiginem: die III magis turbatus fere deliravit. Sanguinis VIII unciis detractis, et exulceratorio cervici admoto, melius se habuit, inde tranquillatus. Die VI incitatio et irritatio redeuntes iisdem remediis iterum cesserunt: dura mater sanescere coepe-

rat, et omnino vulnus ad sanitatem spectavit. Omnia feliciter usque ad diem xv processerunt; quo tempore, invasere rigor et dolor capitis; sana vulneris specie maligna mutata.

Postridie, pars durae matris patefacta in medio hiare reperta est. Hoc hiatu ascendit et prominuit cerebrum pia matre obductum, visuque prorsus integrum: intra viginti quatuor horas tumor eo increverat, ut malum aureum mole aequaverit: facies ejus nigricare coepit, inaequalis; neque pia mater discerni potuit. Postridie mane aeger obiit, prius elatus quam eum mortuum esse Abernethy cognoverit *.

Exemplum secundum.—Quadragenario, quem saxum humi stravit, multum ossis parietis prope

---

* De infelici hujus exempli eventu hujuscemodi habet Abernethy verba: " I regretted very much that I " could not examine the nature of *this Fungus or Her-* " *nia Cerebri*, as it was a phenomenon which I had more " than once contemplated with surprise, *and the nature* " *of which I was afterwards fortunately enabled to as-* " *certain*."

Vide *Surgical and Philosophical Essays*, *Part III. p.* 27.

suturam coronalem intus sidit. Parte ossis sublata, et calvaria dein arte levata, stupor abiit. Die II, inquies deliravit; exinaniendo vero et capite exulcerando, mala decrevere, neque tamen quievere: sex dies graviora aut leviora perstiterunt; vires nunc admodum labarunt; stupore indies aucto accedente. Die x, vulnere patefacto, tumor per hiatum dura matre exulcerata factum prominere coepit; mole ovum columbae aequavit, pia matre cingente inflammata, et sero crasso sub dura matre manante: die proximo, tumor eo increverat, ut ovum gallinaceum magnitudine retulerit, laevis; et parum abesse videbatur, quin rumperetur. Die XII, aeger obiit. Tumor inspectus ampliatus esse, et nigricasse apparuit, facie inaequali et granata, ut videbatur, e sanguine coacto in eam effuso. Pia mater admodum inflammata esse, et, ut ipsa dura mater apud tumorem, deesse, visa est. Pars tumoris excisa e sanguine coacto et fibrato componi, et cerebro seposito, et inspecto, totus tumor istiusmodi esse, apparuit; pollicem infra superficiem alte exortus. Hinc constat malum,

cui homo succubuit, piae matris inflammationem fuisse: patuit etiam natura tumoris; cerebro scilicet altius laeso, malum ad vasa serpsit, et sanguis inde profluxit. Constat cerebri partem et membranas incumbentes aliquamdiu fluxum cohibuisse, has vero tandem renitendi impotentes cessisse, sanguinem profluxisse et ad superficiem coiisse.*

Exemplum tertium.—Fabrum lignarium valde contudit maceria delapsa. Praeter alias injurias, osse parietis dextro fracto et intus presso, paulum aeger stupuit multis horis postquam ad valetudinarium fuerat vectus; rite tamen interrogantibus respondit. Perterebrata calvaria, os elatum est; nihil sanguinis duram matrem tegere fuit conspectum.

Eodem die et II^do^ et IV^to^ postea, sanguis, incisa vena, large elicitus est, epotis simul medicamentis refrigerantibus, cum paratis e stibio et opio, aeger ad salutem spectare videbatur usque ad diem XII^mum^; quo tempore tumor

* Surgical and Physiological Essays, Part 3d. p. 37.

per hiatum durae matris ex adverso calvariae perterebratae partis exortus est. Celerrime increvit, et tumorem in secundo exemplo descriptum penitus retulit; biduo post decessit aeger. Secto cadavere, dura mater ubique calvariae adhaerescere, intus vero pure madefieri, apparuit. Tumor, qui per hiatum exulceratae durae matris extiterat, e fibris repertus est componi, sanguine coacto plane confectus, qui in parte cerebri medullari concreverat. Cavi, quod implevit, linea media pollicem fuit longa, cerebro ibi loci compressione densato cincti. Ventriculi cerebri sero cruento scatuere*.

Exemplis supra numeratis fretus, tales tumores parte concussa aut contusa, et vasis sanguineis, sic ut in apoplexiâ affectis, Abernethy enasci judicat†. Existimat, hoc vasorum malo increscente, unum aut plura vasa dirumpi et

---

* Surgical and Physiological Essays, Part 3d. p. 40.

† Idem, p. 44, et sequent.

sanguinem in cerebrum profundi; putat, ni, rebus ita se habentibns, calvaria hiatu gauderet, apoplexiam iri secutum; et hunc ut sanguis effusus emineret, et cerebrum ejusque tunicae extenderetur, permittere; porro, duram matrem cito exulcerari; et tumorem nunc exsurgentem eo magis et celerius adaugescere, quo magis et celerius sanguis intus profluat.

Pauca de morbi curatione Abernethy disseruit. E sententia, quam de morbi natura complectitur, tumorem comprimi vetat; ulcere solum oleo vel adipe illito et levi linamento obtecto. Quod si prae grandiore mole tumor molestiam inferat, et compressio vix evitari possit, eum cultro abradi, eadem qua Hill ratione, jubet. Si adhuc tumor increscat, aut notae generis nervosi praeter modum incitati accedant, quae coagulum, ad quod tumorem refert, cerebrum opprimere indicant, calvariae rimam ampliari, pro tumoris amplitudine, suadet. Si vero profusio sanguinis intus fatum minitetur, coagulum subtrahere satius esse existimat, et cerebri cavum patefacere; ut comperiatur, necne sangui-

nis jactura subita et nudata vasa fundentia juvarent, et profluvium compescerent. Aliquam praeterea curationem profuturam negat: a compressione et medicamentis astringentibus adhibitis abhorret.

SECTIO II.

Carolus Bell nulla exempla tumorum cerebri, de quibus dissero, in lucem protulit; sed paulo fusius, quid de eorundem natura senserit, exposuit.

Malum*, quod ei bis observare contigit, longe aliud atque Abernethianum existere judicat; et calvariae hiatum et durae matris exulcerationem semper hos tumores antecedere. Opinatur, magna calvariae parte terebra aut carie sublata, aut resoluta, aut terebra admota, et dura matre per serram laesa, aut denique margine calvariae perterebratae aspero et acuto, neque ut fas est, polito, duram matrem, prae cerebri pulsu, ossi aspero illisam partim incidi, partim exulcerari. Hic loci tutamen cerebri proprium tollitur, et e parte ejus morbosa et exulce-

* Operative Surgery, Vol. I. p. 427, et sequent.

rata membrana *fungus* tener assurgit; et interdum fortasse pars ipsius cerebri initio prominet. Tumore eminente, simul exulceratur cerebri superficies; e cujus parte morbida, idonea compressione deficiente, fungus *luxuriosus* oritur: et interdum cerebri mollis superficies cedens dirumpitur, fortasse tussiendo; unde tumor enascitur. Bell tumorem secuit Abernethiano simillimum; ubi, cerebro circa ejus radicem inciso, sanguis, quasi maculae, effusus esse conspiciebatur: quas aliquis facile judicaret uno e vasis amplioribus renitendi impotente rupto et coagulum fundente enatas esse: quas vero Bell comperit plerisque cerebri exulcerationibus contingere. Abernethy placet vasis interni diruptionem ex ictu illato proficisci; Bell vero morbum calvaria e malo veneris cariosa profectum esse testatur, quae multo post omnino explicita fuerat.

Haec ad tumorem, quem ei testari contigerat, proprie pertinere a Bell existimantur; quae memoravit ad eum ab altero Abernethiano discernendum.

I. E superficie tumoris dilacerati aut secti sanguis effunditur; neque solum inter dilacerandum, sed postea; quae certe coaguli non sunt indicia.

II. Collabitur et contrahitur post mortem; quae vasis eundem sanguineis instrui luculenter insigniunt.

III. In exemplo hujus tumoris arte *anatomica* praeparati (quod ipse vidi), ulcus a fundo ventriculum lateralem petiit, et in externam partem hiavit: nihil tamen coaguli, aut ad superficiem aut in cavis conspectum est.

IV. Non e *lamellis* ad centrum vergentibus, ut coagulum in arteria *aneurismate* imbecilla, componitur: sanguis nunquam ex ejus superficie manat, qui tamen certe vel e vena tumida, quae primo ad cerebri dirumpendas valuerat membranas, manaret; exurentibus, sic ut caro ulceris spongiosa, afficitur: Quando semel ad amplam molem pervenerit, compressione magnae arteriae idonea non subigitur.

V. E fibris constat et morte resolutus pen-

det frustulentus; nihil autem hujuscemodi sanguis coactus ostendit.

VI. In exemplo jam dicto tumoris quem arte Bell praeparatum conservavit, ea propria ad hoc malum proclivitas non solum ipsius tumoris specie, sed etiam cavi exulcerati margine et interna facie indicatur.

Hoc vero ordine Bell signa Fungi Cerebri, ut ei videtur, propria enunciat.

Paulo post os sejunctum et duram matrem exulceratam, Fungus protrudi caepit: principio et quotidie, sensu adhuc integro, aeger rigores et capitis dolores queritur: vultus squalet, contractus et subflavus. Tumore adaugescente, aeger nausea crebra torquetur; et titubat, ut ebrius: arteriae tarde et imbecille moventur: aeger nunc cubat, non diutius sedendi potens, arteriis potius trementibus quam digitum admodum pulsantibus. Octo fere diebus, morbi cursus conficitur.

Jam dicta ejus indicia sunt calvaria morbo veneris explicita nati. Quia Bell videtur hunc Fungum praesens periculum intentare, eundem

penitus excidi, et dein partem leviter et ubique aequaliter comprimi praecipit. Quinetiam opinatur Fungum prementem et increscentem permagnam vasorum incitationem facessere, per eam cerebri partem, cui adhaerescit; et, ut in aliis exemplis, actio vasorum, projectura tumoris abrasa, sedatur, sic eandem curationem hic adjuturam, exitu puris interni permisso.

Si quando natura ipsa morbo medetur, hoc Bell videtur accidere fungo strangulato, et delapso vel prae suo celeri incremento, vel integumentis et calvaria sanescere pergentibus.

SECTIO III.

Sequitur ut duo exempla nondum edita breviter memorem; quorum alterius apud valetudinarium Guidianum, alterius Liverpool curati, historias optimus amicus Doctor Vose mecum benigne communicavit: quae summa accuratione, studio et ingenio, quibus enitet, conscriptae omnia magni momenti ad mali progressum pertinentia complectuntur. Haec igitur exem-

pla subjiciio, neque ullus dubito, quin fonte adeo spectato profecta fidem et observantiam debitas acceptura sint.

Exemplo in Appendice ample descripto docemur sex annos nato, cui ab excelso lapso pars inferior et anterior ossis parietis fissa erat, plures pollices per inferiorem marginem, calvariam perterebratam esse apud valetudinarium Guidianum Londinense die XXII Julii anno MDCCCVIII. Inter pertundendum, *perforator* infeliciter altius descendens duram matrem cecidit: calvaria perterebrata, haec membrana visa est admodum prominere et in medio hiare; credito signa cerebri oppressi, quibus puer laboravit, e sanguine inter duram matrem et cerebrum effuso nata esse, cujus pauxillum per hiatum manavit, ea membrana lancea incisa est, incisuris rectum angulum inter se continentibus, et cerebro ita patefacto. Nil sanguinis inde prorupit, nisi paululum e vasis piae matris vulneratis, quae duram matrem arcte tetigit. Sanguine e brachio et capite elicito, stupor paulatim abiit. Consecuta est inquietudo, paten-

tibus pupillis; puer subinde mussitavit, rationis expers. Haec signa perstitere diem postea. Die xxiv Julii; nocte praegressa, se multum jactaverat, et interdiu anxius manum porrigere nequivit, et linguam extrudere noluit: pulsus arteriarum lxxxiii: e vena jugulari nunc unciae octo sanguinis missae sunt. Linteis sublatis, tumor per hiatum terebra factum ad cutem usque ascendisse visus est, convexus, informis, et prorsus cerebri partem pure parce humectatam, et hic illic *fibrina* tectam retulit.

Dominus Astley Cooper, qui tunc interfuit, hunc linamento et strupis linteis emplastro resinoso illitis impositis comprimi suasit; hoc facto, aegro non inde noceri visum est. Die xxv, parum noctu dormiit, continuata jam dicta curatione. Die xxvi, melius dormiit inquies tamen; cutis minus incaluit; arteriae cxxvi^es et exiliter micuere: tumor pressura decreverat, alias idem atque antea. Vesperi aeger deliravit. Die xxvii: Noctu vigilabat, crebros edidit clamores, distentionibus agitatus; interdiu vero quietior fuit, mentis

integrior: arteriis CXII^es^ et imbecille micantibus, tumore imminuto. Die XXVIII: arteriae CVIII^es^ et plenius saluere; aeger tumorem dolere questus est. Die XXIX: arteriae XCVI^es^ et fere naturaliter motae sunt; tumor triplo minor quam antea, superficiem adhuc tuberibus inaequalem ostendit; partes eminentes nunc leviter rubuere, intervallis medulla confectis, et pure effluente obtectis. Augusti die I: satis bene se habuit biduo: tumor perrexit decrescere, sed inter tussiendum, luctandum et clamandum, remota simul pressura, multum prominuit. Die II: aeger sensit, et questus est dolorem super oculos, si quando lucem acceperunt; concitatae sunt arteriae. Die IV: Lux parum doloris facessit. Tumor fere evanuerat, puer aliquantum hebet; alias integer. Die VIII: bonam valetudinem, ut videtur, recepit; cibos appetivit: tumor nunc contractus ad ipsam duram matrem descendit, parvis rubicundis tuberibus obtectus, iis totius vulneris propriis conterminis: puer cito convaluit, celeriter sanato vulnere, strupis emplastro resinoso illitis cincto;

sanus domum rediit. Tumore inter curandum presso nullus nervorum affectus enatus est.

Exemplum secundum.—Trimus, cui frontem equus calcaverat, ad valetudinarium Liverpool, mense Septembre, anno MDCCCIX, advectus est. Parte ossis frontis ictu semota, quae scissae superfuere, intus siderant. Infans initio stupuit. *Chirurgus* os demissum arte levavit; inter levandum, ossis fragmentum duram matrem transfixisse conspexit; hoc sustulit. Osse levato, sensus rediit; vulneri leviora linamenta imposuit; et omnia feliciter ad diem tertium processere; quo tempore tumor fabricam cerebro similis extra duram matrem adscendere coepit: qui *liquore antiseptico* lotus, nihilo minus paulatim increvit. Postea *cataplasma* diutius adhibitum est; quod inter adhibendum, semel aegrum nervorum distentiones agitarunt. Die Octobris XXIV: Doctor Vose, ita se rebus habentibus, primum interfuit; grandis nunc fuit tumor et externas notas alteri jam memorato simillimus; nimirum, cerebrum pure et *fibrina* obductum retulit. Exinde Doctor Vose,

suasit, misso *cataplasmate*, tumorem linamento et strupis, uti in altero exemplo, leviter comprimi: quod primo nihil valuit, scilicet non idonea cura aut peritia peractum. Aliquandiu igitur tumor accrevit, serpsit, et per integumenta late patuit, crustatus et aspectu foedus: Paulo diutius ita se habuit, cum tandem rite compressus decrescere coepit: multum humoris effluxit; crustae exiguae subinde evolutae sunt, et margo sanescere incepit. Tumor nunc celeriter subsedit, usque ad durae matris sedem, cute sanata. Puer inter curandum paulatim viguit; cibos rite appetere coepit. Tandem valetudinis integer et vegetus valetudinarium reliquit. Non nisi semel inter comprimendum distentionibus exceptus; quas vero Doctor Vose alvo tardiore et inde irritato genere nervoso ortas esse suspicatur; quippe quae cito alvo purgandae cessere, neque recidere.

CAPUT TERTIUM.

Exempla et sententiae Abernethy ad Herniam aut Fungum Cerebri pertinentia, grandis sunt momenti quippe, quae naturam illustrant unius classis eorum tumorum, quibus hae voces plerumque appositae sunt. Sibi vero jure adsciscunt haud levem animi intentionem, si quidem Abernethy (qui literarum medicarum doctissimus apud omnes existimatur) inductus est, ut inde statueret omnes cerebri tumores, quorum meminerunt *chirurgi*, ad eandem classem, et easdem causas esse referendos, ad quas suus pertinet. Hac tamen quaestione jam nunc omissa, considerandum erit exempla et sententias Abernethy, eo consilio, ut magis hanc rem difficilem et implicitam expediamus; et potissimum insistendum est iis phoenomenis in istis exemplis prodeuntibus, quae proprie ad tales tumores pertinere haberi possunt: quibus eo magis insistendum, quo plus lucis af-

ferre possint, ad discernendum invicem malum, cujus propria sunt, et tumores cerebri cujusvis alius generis, quos observare nobis aut posteris felicioribus contingat.

Concesso igitur tria exempla, tumores, quales Abernethy descripsit, haud raro post calvariae partem sublatam oriri posse, satis clare edocere; constat eosdem semper e vasis cerebri plaga laesis initio proficisci; hanc vero noxam, ut tunicae vasorum debilitentur, recta efficere; et multum sanguinis, si hae dirumpantur, profundi. Haec profusio certe cerebro plus minusve nocebit, prout hoc ita se habeat, ut plus minusve laedi possit; prout citius aut tardius sanguis effundatur, et plus minusve certo tempore fluat; denique prout huic aut illi cerebri parti cruor incumbat. Qui vero morbo, qualem Abernethy narravit, laborat, necesse est primae ex his noxis eique gravissimae subjiciatur: cerebrum enim ictu terebram adhibitam praegresso laesum et infirmatum, ad inflammationem maxime erit proclive, quae cerebrum admodum irritabile reddit. Nihil vero omnino ad morbi eventum malum aut

felicem tantum operae confert, quantum sanguis plus aut minus alte in cerebrum effusus. Si enim sedem profundiorem habeat, nervorum resolutio, et alia infelicia hujusmodi malorum propria, vix aut ne vix, extruso cerebro, levari poterunt; etiamsi multum calvariae deesset. In tali exemplo totum cerebrum ubique aequaliter opprimeretur, et inde pessima sequerentur necesse est. Ubi vero, ut in exemplo Abernethy, non nisi vasa exteriora laesa, paulo infra membranas, sanguinem effuderant, partes interiores, (quae, ut sanae sint, multo majoris refert), si dura mater mature tollatur, parum opprimantur: tanta enim, renixu levi, proclivitas est ad prominendum, ut fere tantum partes sanguini profuso proximae laedendae sint. Si igitur his confiso, sententia Abernethy ducendis, statuere liceat tumorem salutem moliri, mala praecavendo, quae sanguine intus occluso certissime enascerentur, quo factum est, ut in his ipsis exemplis, mors tumorem ortum illico exceperit? Scilicet, ad quam potissimum causam fatum sit referendum? Abernethy nihil ad hoc expediendum

disseruit: ejus vero sententia de morbi natura utenti judicare liceat, aut inflammationem, quae ipsa ad vim cerebri vitalem extinguendam valuit, profusionem sanguinis comitatam esse, aut mortem provenisse e cerebro hac laeso, antea quam tensio et vasa absorbentia duram matrem summoverant. Cerebro graviter noceri in omni istiusmodi exemplo, ubi dura mater non ipso initio sublata est, verisimile videtur; eidem vero vehementer nocitum esse, in exemplis primo et secundo, testantur delirium et stupor ingravescens, quae antea accesserunt, quam tumores prodierant. Nisi igitur sanguinis profusio cerebro prius graviter nocuerit, quam dura mater hiaverit, sperare licet, simul atque, dura matre remota, compressio sanguine orta cessaverit, signa jam dicta abitura, et stuporem paulatim excussum iri. Tanta malorum remissio, in tribus exemplis, alio aliud consequente, ne quidem medicum ingenii mediocris, multoque minus Abernethy virum summa mentis acie donatum latere potuit: quam quia silentio praeteriit, et memoravit singulos aegros in ejus exemplis biduo post

tumorem primo exortum, mortuos esse, nullam hanc omnino accidisse, et sanguinem profusum eo usque cerebrum ante laesisse, quam tumor inceperat, ut necem moliatur, judico.

Si, quae jam disserui, vero consentanea sint; id quod multa alia clare edocent, rigores et dolor gravior capitis, quae febrem sanguinis fluxum praegressam denunciant; delirium ferox inflammationis proprium, quod pari ratione profusio sequitur; aut stupor qui cerebro oppresso nasci solet, fortasse sanguine tardius e vasis ruptis effluente ortum; haec, aut aliqua ex iis, dura matre nondum exulcerata, neque exorto tumore, accidentia, satis lucide demonstrant cujusmodi sit malum.

Ex his signis plus minusve urgentibus, et indiciis malis, tumore tandem exorto, aut quiescentibus aut ingravescentibus, satis accurate, qualem morbus eventum sit habiturus, praesagire licebit. Exemplis igitur, quae protulit Abernethy, perpensis, statuo, quantum laesa fuerint cerebrum et ejus vasa, quanta sanguinis profusio extiterit, cognosci posse, tempore quo

primo tumor assurrexit post signa profusionis prodeuntia, ejus incrementi lege et ratione, et mutationibus singulis, quas subit ejus facies, rite observatis.

In plerisque exemplis judicare licet, tumorem serius ortum, rebus ita, ut mox protulimus, se habentibus, eundem cito ampliatum, et faciem subito mutatum docere, sanguinem celerius in cerebrum profundi, ideoque multum ejus inflammationis et incitationis, quae interna sanguinis profluvia comitantur, subesse. Primum exemplum Abernethy, de quo nihil fere commentatur, rationem signorum, quae fere huic morbo graviori contingere oportet, luculenter explicuit: puero scilicet annos quatuordecim nato (qua aetate arteriae pleniores maxime inflammationi favent) ictu calvaria fracta et depressa terebram accepit, et multum sanguinis coacti intus inclusi remotum est; vasa cerebri primo noxa illata, et dein sanguine sub calvaria concreto opprimente laesa, sanguine turgere coeperunt, et ipsum in inflammationem celeriter incidit. Hanc ineuntem sedarunt exinanitiones

multae et largae ; tandem vero, forsan hac salutari curatione intermissa, inflammatio viguit ; rigores et capitis dolores, die quinto decimo, supervenere, vulnere et dura matre faciem malignam prae se ferentibus. Quo ipso tempore verisimile est, quod sententiae Abernethy de morbi natura convenit, vasis quibusdam cerebri diruptis, sanguinem in ejus partem *medullarem* profluxisse : cerebrum inde levatum prope hiatum in calvaria terebra factum, cito, ut dura mater absorbeatur, effecit : die sexto decimo tumor apparuit, primo ipsi cerebro pia matre obtecto simillimus ; elapsis vero horis viginti quatuor, magnitudine malum aureum aequavit ; nigricavit, inaequalis et asper, pia matre non percipienda. Puer obiit die octavo decimo postquam primo aegrotaverat ; tertio vero post enatum tumorem. Haec signa novissima sanguine intra tumorem aut ad ejus radicem tandem profuso, et tumore exinde eo usque ampliato, ut margo asper calvariae terebratae cerebrum et piam matrem fere strangularet, plane exorta sunt. Reditus sanguinis a venis piae matris

difficilis, et ingressus per arterias prorsus impeditus, rationem lucidam faciei tumoris mutatae reddunt.

E supra memoratis patet artem medicorum frustra huic tumori serius post inflammationem accidenti obniti (id quod probe docet quanta sit ad morbum proclivitas) ejus malignam indolem hinc clarissime insigniri, et finem lethalem celeri tumoris incremento et subitis, quibus subjicitur, mutationibus, certissime praesagiri.

Quia prae auctorum incuria, nihil certi aut lucidi de hujus morbi gravis eventu praesagiendo invenire potui, iis, quae exempla Abernethy praebent, innixus, hanc rei propositae partem expedire, et pro viribus illustrare, conatus sum.

Abernethy, mirabile dictu! de signis ad corporis valetudinem pertinentibus, quae duos istos dies, quibus ineunti tumori supervixere, miseros invaserunt, omnino tacuit; nullis enarratis, nisi quae ad ipsius tumoris progressum et singulas ejus mutationes spectarunt. Neque vero memoravit, necne, mali natura manifesta, aliquid auxilii adhibuerit. Quae tanti momenti

omissa esse maxime lugemus; non nisi enim indiciis fideliter depictis, aut qualis sit morbus, aut quoties accedere soleat, frequenter an raro, aut quomodo optime debelletur, cognoscere licet. Nonnihil certe utilis et gravis didicissemus, si fusius ista auxilia scriptis mandasset, quae vel ad levandum vel sanandum hunc morbum, apud exempla, de quibus disserui, admoverit. Saepius vero accidit, ut quasi fato quodam protervo et infelici, auctores celeberrimi unicam medicinae partem amplexi, quam summo amore et studio excolere consuerunt, eam caeteris parvi habitis anteponant, perinde quasi illa sola, his minime innixa, steterit; cujus rei ecce luculentum exemplum! Ardens desiderio naturae tumoris illustrandae, quem insolitum semel iterumque se valde miratum esse confitetur, de signis *generalibus* nihili habitis omnino Abernethy conticuit; imo etiam de medendi ratione disputans siluit prorsus, auxilia inflammationi isti, certeve eo propensioni, sedandae idonea, quae semper sanguinis e vasis ruptis profluvio adest, et ad ejusdem reditum,

plurimum operae confert. E proprio ipsius auctoris sermone constat, mali quasi radicem et summam, *Haemorrhagiam Cerebri* existere; tumorem vero, quem, calvaria remota, haec progignere possit, quasi adventitium esse, neque morbi partem necessariam, aut semel inter centum exempla contingere; neque omnino scrutatu aut notatu dignum, inter medendi rationem agitandam. Neque vero inficiandum, tumorem, eo quod, ut cerebrum effuso sanguine minus prematur, effecit, et aliis auxiliantibus, quodammodo saltem, quatenus et quomodo cerebrum laesum est, ostendit, aliquid studii mereri. Nihilo tamen majore observatione, his exceptis, dignus est, quam integumenta pus, serum aut quodvis viscus, alicubi corporis, velantia.

Morbus igitur, quem Abernethy testatus est, plane, imo lucidissime curationem *apoplexiae* sanguine intus effuso enatae idoneam desiderat. Patent medendi consilia; et quanto infeliciorem eventum habuit ea medendi ratio, qua hic medicus usus est, tanto acrius nitendum, ut, auxiliis praesentissimis admotis, quam celer-

rime profusio sanguinis intus quiescat, et cerebrum jam effuso expediatur. Ad PRIMUM CONSILIUM exequendum, oportebit sanguinem e brachio et capite elicere; alvum acriter purgare et *regimine antiphlogistico* uti. Quod ad SECUNDUM, vel tumore excidendo, vel sanguine occluso ope ferramenti educendo explebitur. Nescio an metus profluvii sanguinis vitae gravis secuturi, medicinae *chirurgicae* peritum a tumore incidendo detineat, quando moles adaugescens acerrimum internum profluvium indicaret: minime tamen celandum, habitum vasorum diruptorum, et sanguinem effusum praesentem admodum arterias vicinas incitare; eoque conjicio hunc sublatum istam incitationem non posse non magnopere sedare. Quinetiam curatio, qua usi sunt plerique magni nominis nostrates et Galli, satis edocuit fluxum sanguinis ampliorem aut aegre compescendum, prae parte sana cerebri, et superficiei vicina excisa, nequaquam esse metuendum *. Hinc haud veri ab-

* Hill, Quesney, &c.

simile videtur tumorem non solum excidere aut ad sanguinem tollendum incidere licere, verum etiam, parum valentibus his rationibus, cavi parietes abradere.

CAPUT QUARTUM.

Nunc tandem absoluto sermone de proprietatibus insignioribus mali, quod Abernethy exempla produnt, et inde ducendis de medendi ratione talibus tumoribus apta, proximum est ut animum adverterem ad quaedam momentosa, quae ille vir eximius observavit, in opere antea citato, capite cui titulus "Cases of Fungus or Hernia Cerebri," et quae huic disputationi praeposui;

Propositis binis contineri possunt:

Primum est, quanquam tumores varii generis e pia matre et cerebro oriri possunt, hos tamen nondum discretos esse.

Secundum, morbum, qui describi solet sub nomine Hernia Cerebri e tumore coacto sanguine effecto componi, uti qualem Abernethy notavit.

Res est perquam admiranda, tumores quos hujus disputationis argumento selegi, fere semper sine ullo discrimine Hernias aut Fungos Cerebri nominatos esse; quae voces, quamvis altera longe aliud atque altera denunciet, et ea ratione semper adhibeantur, quando de quovis alio simili malo disputatur, hic tamen unum et idem per scripta medicorum indicant. Non minimi intersit requirere, unde confusio adeo insignis provenerit. Aliquid obscuri et dubii sane exortum esse potest, ex his tumoribus aliam atque aliam speciem proferentibus inter progrediendum. Sed quantumcunque difficile sit rationem reddere talis vocum confusionis, fatendum est, medicis, qui proprie animos ad hanc rem applicuerunt, persuasum fuisse omnigenum tumorem calvariam et duram matrem divulsas secutum, novam esse naturam, actione morbida vasorum cerebri enatam. Documentum hujus

rei clarius vix exquiri potest, quam quae Abernethy a suo exemplo secundo deduxit; asserit enim (ad suam sententiam firmandam, morbum a plerisque Hernia Cerebri vocatum, e tumore coacto sanguine facto componi), *fungum organicum* non fieri posse tantulo tempore, quantulo hi tumores perfici solent*. His perlectis, haud dubitari potest, quin Abernethy eruditus ille et acri ingenio praeditus, semper Herniam cerebri aestimaverit morbum ejus visceris acutiorem, et natura fungo similem. Verisimile est hunc errorem, in quem omnes fere *chirurgi* inciderunt, evitatum fuisse, si caute considerassent mutationes graves cerebri et ejus vasorum actionis, quae semper necesse est e parte cerebri et durae matris divulsa oriantur: Si animum huc advertissent, inde vix non percepissent quantum ortus tumoris, qui optimo jure nominari potest Hernia Cerebri, sed qui natura penitus fungis a plerisque descriptis dissimilis

* Vide Surgical and Physiological Essays. Part III. p. 40. vel Appendicem huic opusculo subjectum.

est, impelleretur, imo prorsus inniteretur partibus cerebrum cingentibus remotis. Hoc, quod *a priori* quivis facile statueret, re ipsa observata, clarissime patet: hac enim sola sententia usi lucidam rationem reddere possumus exemplorum, quae in scriptis invenienda sunt, cerebri tumorum omni malo ejus acuto vacantium.

Quanquam hi tumores nondum proprie discreti aut cogniti sunt, secundum Abernethy*, neque omnino inter scribendum vel curandum disjuncti sunt e tumoribus Abernethy, et morbo isto maligno, qui a Carolo Bell, qui solus eundem notavit, fungus cerebri nominatur: nullus tamen dubito, quin clarissime docere possem tales discriminationes plane grandis momenti, quod ad singulorum generum naturam, causas et curationem, recte institui, et maximum medicorum studium mereri. Duo exempla Doctoris Vose, ante prolata, et infra † longiore sermone narranda, hujusmodi sunt, nempe cerebri ipsius protrusi exempla: et pleraque sine dubio eodem

---

* Vide "Motto."

† Vide Appendicem.

releganda in scriptis medicorum traduntur, e quibus aliqua proprio loco citanda erunt.

Nunc tamen ceteris omissis, non nisi exempla, quae mecum communicavit Doctor Vose, agitandum erit. Quorum historiae summa accuratione conscribuntur et singula magni momenti, ad mali progressum pertinentia, complectuntur; haec sane perinsignia hujus tumoris sunt exempla, quae clare docent, hos tumores a primo ortu usque ad finem, natura longe alienos esse ex una parte a *tumore ex Haemorrhagia Cerebri,* quem Abernethy, ex altera etiam, a Fungo Cerebri, quem Carolus Bell protulerunt. Rem ita se habere, et plurimi interesse invicem discernere, in scribendo et curando, morbum Doctoris Vose, Abernethy, et Caroli Bell, hos, alium alii, inter se conferendo, optime liquebit.

Imprimis, inter se conferendum mala a Doctore Vose et Abernethy descripta.

I. Jam* antea memoravimus tres istos tu-

---

* Vide Caput Secundum aut Appendicem.

mores, quos Abernethy retulit, die XV, X, et XII post terebrae usum primo extitisse; ea vero signa, quae inflammationem adesse, et effusum inde sanguinem in cerebro denunciant, antecessisse; porro, exulcerationem durae matris et ejus hiatum, quo tumor ascendit, sanguine subjecto premente facta esse: contra autem, in binis istis exemplis mali, apud Valetudinarium Guidianum Londinense et Liverpool, duram matrem utrique aegrotanti, una cum cingente calvaria, biduo vel triduo prius sublatam esse, aut incisam aut dilaceratam, quam, renixu ita sublato, pars tumuerit: neque comperire potui ulla mala aut graviora signa tumoribus evolutis accessisse: et Doctor Vose me certiorem fecit, si accessissent, eadem latere non potuisse.

II. Tumores Abernethiani, uno die postquam nati sunt, mole ovum gallinaceum aequaverant; nigri, inaequales, et granati, scilicet propter sanguinem manantem et coeuntem, quo maxime constiterunt. Aegri singuli, quos Abernethy curavit, tertio die ex tumore prodeunte

mortui sunt. Tumores vero, quos hisce opponere visum est, ab ipso initio, cerebri ipsius sani paululo *fibrinae* humectati speciem prae se tulerunt. Tumor ille, quem apud Valetudinarium Liverpool curatum notavi, non nisi pluribus hebdomadis exactis, summam expleverat magnitudinem, ejus facie vix mutata; etiamsi nulla validiora auxilia, nisi multo post eum exortum, ad repellendum tentata fuerant: neque non pariter felicia fuere signa ad corporis valetudinem pertinentia.

III. Abernethy, signis inflammationis et sanguinis profusione fretus, quae suis morbi exemplis evenerunt, tumorem omnino premendum strenue negat; ne scilicet hunc repressum sanguinis in cerebrum fluxus et ipsa *apoplexia* sequerentur. Quod plane demonstrat quantum inter hunc affectum, et quem indicant exempla Londini et Liverpool curata, intersit; quibus pressura clare optimo, forsan (uti infra docebimus,) unico remedio existit: neque fere ullum aliud, nisi hoc perite et aequaliter adhibitum, ministratum est. Hoc vero eventu felici fretus

talem curationem idoneam, et in similibus exemplis profuturam arguit. Neminem certe latere potest discrimen tantum et adeo manifestum; nimirum, unicum remedium huic malo sanando accommodatum, illic nervorum resolutionem, imo fatum ipsum arcessere.

Denique, eventui lethali istorum trium exemplorum, qualia nullus auctor praeterea, quod scio, scriptis mandavit, haec duo objicio in sanitatem abeuntia, quibus pleraque similia, id quod mox ostendam, in scriptis de medicina *chirurgica* eduntur.

Inter Fungum Cerebri Caroli Bell ab eodem protruso discernendum, qualem morbum exempla Doctoris Vose praedicant, sufficeret forsan opponere tumorem maligni habitus, maxima totius corporis turba stipatum, cerebro ipsi sano e propria sede extruso, valetudine penitus illaesa.

Non vero alienum erit paulo amplius hanc rem tractare, ad melius et clarius distinguendum.

Fungus Caroli Bell (quod patet ex descrip-

tione quam edidit *, nulla enim praebuit exempla) calvariam carie malo Veneris profecta resolutam, vel perterebratam excipere consuevit; ubi cerebri pulsus, dura matre aspero margini foraminis terebra effecti illidenda, ut eadem exulceretur, fecit. Malum vero ei, cujus exempla Doctor Vose dedit, simile fere semper juniores adoritur, antea valetudinis integros, quibus dura mater aut arte puncta, aut aliquo casu dilacerata fuerat.

Bell videtur exulcerationem Cerebri Fungi ortum comitari; et profecto res ita se habuit in suis exemplis. Nulla vero exulcerationis indicia, aut exempla Doctoris Vose, aut quae alii scriptores memorarunt, exhibuere: nihil morbosi nisi ad superficiem apparuit. Nequeo equidem affirmare e corporibus incidendis compertum esse, cavum exulceratum haud cerebro infuisse, ubi cerebri ipsius pars extruditur; sed quia fatum cito necesse est consequatur talem exulcerationem, non dubitabo asse-

* Operative Surgery, Vol. I.

rere eandem defuisse. Quinetiam, exulcerationem semper tarde effectam inflammatio praegreditur; quae vix fieri potest ut subesset, nullis omnino malis indiciis praesentibus.

Concedendo interdum in suo morbo cerebrum ipsum primo tumescere, Bell fatetur Fungum sua spe cie a cerebro ipso diversum esse; et ni me fallat memoria, exemplar arte praeparatum hujus tumoris, quod saepius Caroli Bell alumnus, contemplari solitus sum, nequaquàm cerebri meri notas exhibuit: tumores vero Doctoris Vose, omni ex parte, cerebrum sanum retulerunt, pure madefactum, et hic illic *fibrina* aspersum. Conferendo horum propria, levia et felicia signa ei dirae catervae malorum, quae ad Fungum pertinet, non possumus non judicare, in hoc cerebri fabricam graviter intus antea laesam fuisse, quam aliqua mali testimonia extrinsecus prodierant; illos ictu vel casu aliquo recenti cerebro sano illato ortos, prorsus alienos esse, ab hoc insidiante et tardo, cui cerebri laesa compages accedit: haec duo mala nulla similitudine convenire inter se, nisi quod utrumque

eandem partem male habet, et utrique favetur, dura matre et calvaria variis casibus remotis.

Denique, quod maximi est momenti ad hanc quaestionem expediendam, ex altera parte, Bell affirmat, "a degree of compression "equal to that of a considerable artery will "not subdue it (viz. Fungum Cerebri proprium) when its growth has got head:" ex altera autem, pressura levis, suadente Domino A. Cooper, unum ex his tumoribus repressit, et ad calvariae perterebratae hiatum sidere coegit; alterum vero * similis curatio similiter affecit, etiamsi paulatim plures hebdomadas increverat, et ad summam magnitudinem pervenerat, priusquam idem auxilium admoveretur.

Confido me tandem lectori ingenuo monstrasse, jam dicta vera esse et adeo momentosa, ut ignoscatur, quod auctoribus dissenserim, et praesertim sententiae temere acceptae, quam Abernethy amplexus est, nempe omnes cerebri

---

* Apud Liverpool.

tumores *suum* referre; et varia eorundem genera statuere et invicem discernere conatus sim.

His fiducia summa freto mihi vix non licebit rejicere nomina absurda, quibus tumor fere quisque cerebri hucusque confuse designatus est; et, quo magis perspicue et ordinate disseratur, eam vocem *Herniam* Cerebri solum adhibere isti tumori, qui procul dubio ipsius cerebri parte protrusa componitur.

Nunc sequitur ut Herniae Cerebri naturam et rationem prosequerer, morbi in quo agitando, multum lucis elicitum iri sperare licet, utilissimae ad hoc multiplex et obscurum argumentum explicandum et illustrandum. Causae, quas exempla edita docent esse proclivitatis eo genetrices, videntur esse pars calvariae et durae matris divulsa; infantia et corporis plenitudo: quas singulas tractandum.

Maxime omnium valet prima ex his causis; plerumque enim asserere licet Herniam Cerebri non posse fieri, integris et illaesis partibus cingentibus. Quandocunque igitur pars calvariae deest, sive id ab initio natura, sive ars, aut

plaga fecerit, cerebrum non solum huic malo opportunum existit, verum etiam, quodam impellente nixu, ipsum eo tendere videtur. Observatu dignissimum est huc adeo idem interdum esse propensum, ut, integra dura matre, cerebrum tamen a sede solita assurgeret. Morbum cerebri proprium, cui patent infantes tenerrimi jam nati, quidam scriptores solum *Herniam Cerebri* alii *Encephalocelen* vocarunt: hic sive ossea parte calvariae deficiente, sive ipsa inter pariendum laesa, cerebrum protruditur, tumore *pulsatili* facto solitis tegumentis obducto, et interdum insignis magnitudinis. Hujus vitii minime, ut credo, rari, neque saepe lethalis, Le Dran exemplum scriptis mandavit*; neque pauca ejusdem generis testari praeclaro hujus Academiae professori † contigit. Necne in hoc malo dura mater dilaceretur, nondum, ni fallor, pro comperto habetur; eandem vero integram esse verisimilius est, propter crassitudinem ejus apud infantes, et omnes partes calvariae adeo mobi-

* Vide Observations de Chirurgie, Tome premier.

† Monro tertio.

les et flexiles, et magnam vim resiliendi ad cerebrum hac aetate pertinentem; quae simul probe docent, quare toties hoc malum infantes adoriatur.

Quantum pars calvariae divulsa vi aut arte, adhuc integra dura matre, ad Herniam Cerebri gignendam conferat, ex iis quae Gallici * scriptores tradiderunt, disci potest: qui meminerunt nervorum distentiones et soporem supervenisse, quando, terebra prius admota, aliquantum tumoris cerebri dura matre obtecti videretur constituere "une espece de hernie [c]." Non invenire potui prorsus eadem in scriptis nostratum enarrata. Cum vero tumor ejusmodi certe aliquando saltem evenerit, eundem saepius accidere posse, imo etiam accidisse, verisimile est; et eodem semper referendus erit, scilicet ad statum cerebri mutatum, ex tutamine et pressu solitis remotis.

Constat tamen hujusmodi tumorem minoris

---

* Memoires de l'Academie Royale de Chirurgie. Tome I.

esse aestimandum, neque nisi nomine isto levi, quod imposuerunt, qui eum observarunt, esse dignum: dura mater integra, etiamsi calvaria subtraheretur, valide et efficaciter reniti solet, et ita praecavere, quo minus *intumescentia* eo usque increscat, ut metum faciat; et aetate florente vel adulta profecto, eadem membrana nunquam eo prolatari potest, ut inde periculum instaret. Hoc enim differt a ceteris membranis quae serum halant, quod ipsa calvariae tutelae vel *periosteo* existit, arcte eidem adhaerescens, nullubi omnino mobilis aut mota, integra corporis valetudine. Error iste, quo olim de hac re medici hallucinati sunt, jam diu obsolevit. Si vero contemplemur vim insignem, qua pollet calvariae et simul ipsius membranae pars direpta, herniae cerebri inferendae, tum profecto partem utilissimam et gravissimam hujus mali historiae prosequimur. In quoque fere Herniae Cerebri exemplo, dura mater ictu aut arte prius dilacerata est [d].

His igitur incitatus, ut causas inquirerem rei perinsignis in hujus mali descriptione, animum

adverto ad fabricam considerandam partium, quarum functiones afficiunt *operationes* Herniam Cerebri praegressae.

Prima et praecipua res consideranda est mirabile illud artificium, quo natura praecavit, ne noceat subitus et abnormis impetus cerebro illatus. Sanguis acendens cursu contrario atque eo, quo omnia suo nutu tendunt; iter anfractuosum et multiplex, et cursus et propria distributio arteriarum antequam cerebrum penitus inierint; denique cerebrum ipsum in *lobos* diductum; hae omnes cerebri proprietates, certe non minus cavent, ne sanguis subito, inaequaliter aut justo validius, intus moveatur, quam calvaria et membranae cingentes noxas praeveniunt externas. Quinetiam, fabrica et situs proprius venarum majorum cerebri, quas leviter premunt singulae arteriarum dilatationes, faciunt ut sanguis multo celerius ad cor dextrum rediret [e]. Haec omnia vero, quantumcunque malum praecaveant, eorum auxilio multum repugnabitur, si pars calvariae dimoveatur; si tamen dura mater etiam divelleretur, nil omnino proficient. Adminiculo

enim, quod inde datur, alicubi sublato, compressio inaequalis fit, et ad partem cerebri nudam, quasi ad centrum, feruntur omnes ejus humores. His omnibus ita se habentibus, et tumori, quem prosequor, faventibus, manifestum est, rationem motus sanguinis eventum plurimum recturam esse, potissimum in ea cerebri parte, quae calvariae hiatui subjicitur. Fere in omni exemplo alicubi corporis, observatur compressionem vasis alicujus partis ereptam, tardo humoris intus fluentis motu, et ipsorum plenitudine excipi. Quae si vera sint, neque aliqua sit causa, quare vasa cerebri etiam non eidem legi obsequantur, non difficile est intellectu, quanta foret ejus vasorum plenitudo, si in animo habeamus, quanto tenuiores his tunicae contingant, quam aliis alicubi, corporis ; *tunica* nimirum *cellularis* deest, aliis fortissimo tutamini. Neque parvi refert meminisse, venas pro rata parte, magis adhuc quam arterias, impletum iri; illis enim non fibris motricibus donatis, et quam his tunicas debilioribus, multo minor subest sanguinis moli et impetui renitendi facultas. Quin-

etiam, venae per cerebri superficiem sparsae creberrimae et amplissimae sunt; ideoque necesse est ut plurimum turgeant, adminiculo solito orbae, quod calvaria et membranae obducentes largiuntur: et nixus, quem necesse est hae tumentes edant, aliaeque supra dictae causae, quae omnes ibi potissimum agunt, ubi renixus est minimus, (scilicet apud hiatum, quem terebra effecerat) me judice, ad cerebrum hic loci projicendum valebunt, et proprium tumorem nunc describendum et illustrandum gignent. Mihi liquet hanc mali rationem simplicem esse, naturae convenientem, et rebus ipsis exponendis idoneam. Nulla inepta *hypothesi* nititur, et facile intelligitur, imo eandem clare suggerit *a priori* cerebri fabrica cognita et perpensa; et certe *anatome* soli duci fidendum, in rebus ad *pathologiam* pertinentibus inquirendis.

Quum tandem docuerimus, quousque pars calvariae et durae matris dimota Herniam Cerebri parire valeat; in animo habito, eo non parum operae conferre vasorum statum, scilicet compressione et tutamine solitis orborum; non

alienum videtur anquirere, quae causae ipsi corpori propriae, neque omnino extrinsecae, huic morbo favere possint. Docent exempla Doctoris Vose et alia similia, (quae hic illic sparsa per libros medicorum hic solum citare possum[f]) tumorem Herniae Cerebri, hoc praesertim insignitum, quod ex omni parte ipsum cerebrum refert, fere semper impuberibus et adolescentibus contigisse. Tanta apud infantes est proclivitas ad ascensum tumoris, quem prosequor, ut metuendum sit ne cerebrum promineret, etiam calvaria sola deficiente. "I never, in "boys," ait celeberrimus Johannes Bell, "find "the dura mater capable of supporting itself; "whenever the openings are wide, it inflames, "sloughs, gives way at one or more points, "and the proper substance of the brain, *previ-* "*ously suppurated, and ready to form a fungus*, "protrudes[g]." Quae cum ita essent, sequitur ut istas harum aetatum proprietates quaererem et notarem, quae hujus tumoris ortum adjuvare videantur. Has vero potissimum contineri judico ratione motus sanguinis et vasorum statu

infantiae propriis; partium solidarum tum continuo increscentium dilatatione et nixu, et quibusdam rebus infra narrandis, quae fere semper prius eveniunt, quam calvaria arte perterebretur; id quod fieri solet, post caput ictu graviter laesum. Quinetiam, praeter motum sanguinis velociorem et incitatiorem, infantia et juvenili aetate quam provectiore, celerius incrementum quarundam quam aliarum partium postulat, ut earundem arteriae eo magis ista polleat actione, unde singulae partes corporis cum solidae, tum etiam fluidae ducuntur. Inter tales partes, certe praepollet cerebrum, sensus omnigeni meta, et voluntatis sedes; quae mentis facultates primae omnium post inceptum spiritum exercentur: ideoque opus fuit ut cerebrum primum omnium his gravibus suis muneribus rite fungendis accommodetur. Neque inficias eundum, quin amplitudo vasorum cerebri, et cursus et impetus iste proprius sanguinis insigniter huic magno visceri mature evolvendo aptentur. Prima igitur aetate, quando arteriae totius corporis, at cerebri praesertim, pleniores sunt, quod molle, delicatum

nunc parum renititur, vix fieri potest quin sanguis ad partem calvaria et dura matre privatam fortiter impelleretur, et ideo cerebrum cito extruderetur[h]. Constat enim hanc incitatam vasorum actionem, ubicunque evenit, validissime omnium affecturam esse partem minime omnium renitendi potentem, scilicet, quae hiatui per tenebram facto subjicitur. Cerebri ipsius status post istas noxas illatas, quae terebrae usum antecesserunt et postulare existimatae sunt, multum huic malo auxiliabitur. Prae injuria, quam patitur cerebri pars ei calvariae ictae subjecta, inducor ut crederem aliquantum inflammationis concitari, hanc vero potissimum parti extrusae accidere, scilicet injuriae accipiendae opportunissimae, imo forsan esse tumoris causam haud contemnendam. Hernia jam nunc facta, statuere licet, propter mutatam sedem praeter naturam partis cerebri protrusae; propter scabrum calvariae vulneratae marginem, quo tumor circumdatur et premitur; denique, propter alias bene multas noxas irritantes, quibus tumor continuo obnoxius est, aliquid inflammationis antea

excitatae, potius auctum quam sedatum iri. Asserere licet, etiamsi nulla inflammatio prius extitisset, has causas, tumore jam evoluto, agentes eandem accendere posse. E priori ex Vosianis mali exemplis, apparet arterias aliquamdiu concitatas hanc inflammationem praedicasse; et certe non rationi repugnat conjicere eandem plerumque adesse (quod non minimi aestimandum est in *hypothesi*). Porro, tumor Herniae Cerebri, initio, paucis diebus, multo celerius increvit, quam ullo tempore postea; initio etiam, ceteris paribus, inflammatio incitatior est quam postea; et quo magis haec sedetur idoneis exinanitionibus admotis, eo tardius tumor adaugescit; et simul atque inflammatio penitus fugata esse videtur, tumor fere subsistit. Hujusmodi fuit mali progressus in exemplis Doctoris Vose, antequam compressio illata eundem mutaverat: quocirca vix aut ne vix dubitandum est, inflammationem frequenter Herniae Cerebri accedere. Quomodo inflammatio aut parti aut toti cerebro incumbens, ad hunc morbum inferendum operam confert, in aprico est: inflammationis ea ratione, quae

signis ipsis omnino consentanea apparet, docemur, vasa partis inflammatae ampliari; ea vero quae huic proxima sunt, vel eam circumdant, motu solito vehementiore agitari. Licet igitur affirmare vasa sanguinea tumentis partis in Hernia Cerebri praeter consuetudinem dilatari, et vicina ultra modum concitari; amplificationem vasorum cerebri inflammatione ortam perinsignem esse, partim prae molli et tenera cerebri fabrica, cui insident, et ideo unde parum fulciuntur; partim vero et potissimum, prae tenuitate et imbecillitate tunicarum, ista simul *cellulari* deficiente. Haec proprietates igitur motus sanguinis et actionis vasorum efficere videntur, ut pars cerebri antea nuda eo facilius et citius protrudatur. Contemplantibus igitur causas jam nunc memoratas, tutelam consuetam sublatam, quam naturae almo consilio praebent calvaria et dura mater, et causas ad corpus ipsum attinentes, nempe infantiam et plenitudinem, nil dubii erit, quin causae effectibus gignendis sint penitus habiles.

Quae supra disserui de vasorum conditione apud Herniam Cerebri, clare edocent eandem recte curatam esse in exemplis quae Doctor Vose mihi praebuit, aliisque eadem ratione feliciter curatis. Haec curatio, nimirum compressio admota, fungendo vice calvariae et durae matris deficientium, vasa debilia cerebri fulcit, et eo collabi sinit, ut, linea media naturali facta, cavo calvariae rite aptentur; dum tumor, ut in exemplis Doctoris Vose, sensim extenuatur, tandem intra calvariam lapsurus. Ille vir eximius Astley Cooper, quo suadente, tumor primo apud Valetudinarium Guidianum compressus fuit, et postea eandem accepit curationem in Valetudinario Liverpool, non omnino invicem discernit cerebri varios tumores; sed inductus est curatione uti, adeo aliena ab opinione communi de hac re, eo quod observaverat cuncta alia remedia adhibita, ad cerebri tumoribus laborantes levandos, fatum intulisse. Ni tumor comprimatur, A. Cooper exìstimat cerebri partes emortuas ad hiatum durae matris separari, eoque ejus ventriculos patefieri: unde re-

solutio nervorum et mors. Idem evenire solet, si tumor excidatur quoties ascendit, pressura non admota, ad ejus reditum praecavendum[1]. Certior factus sum Warner, " Fungum vel Herniam Cerebri," curasse hac ratione, et eodem malo exitu. Hill vero, qui solitus duram matrem inter perterebrandum secare, ita frequenter hunc morbum genuit, exsecuit tumorem feliciori eventu. Quoniam vero hoc fecisse plerumque est occidere; et quia haec curatio falsa opinione nititur) scilicet omnes cerebri tumores naturae esse malignae et spongiosae, longe fabricam a cerebro ipso alienos, neque aliquid cum hoc commune habere, nisi sedem adventitiam), oportet alteri cederet, hucusque plerumque felici; et quam idoneam arguit ipsa ei rationi Herniae Cerebri, quam exponere et illustrare conatus sum, omnino consentanea.

At vero objici potest, ex una parte, Abernethy monuisse, caveamus a comprimendo tumore *Haemorrhagia* Cerebri exorto; ex altera, hanc medendi rationem adhibitam uni ex exemplis morbi Hillianis, uni, quod retulit Scultetus, et

alii, in opere cui nomen "London Medical "Journal," enarrato, (quae omnia confitemur Herniae cerebri exempla existere), primo illi signa perniciosa intulisse, binis alteris ipsam mortem. Prius ex his objiciendis certe ineptum est; eo quod confido me clarissime monstrasse, *tumorem ex Haemorrhagia Cerebri* natura fere contrarium esse Herniae Cerebri proprio: posterius tamen longe gravius est, et ampliorem inquisitionem meretur. In exemplo, quod edidit Hill, parte calvariae, quae siderat, levata, sanguis profusus fuisse apparuit; et pus e membranis punctis effluxit. Haec vehementiam insignem ictus illati ostendunt: stupor aliquamdiu post terebram immissam perstans, et ima pars tumoris postea suppurans, clare cerebro indigniter nocitum fuisse indicant. Tumor qui assurrexit per hiatum calvariae perterebratae, non potuit esse pars cerebri sani extrusa: pus enim ejus faciem obduxit, et ab ejus radice provenit. Ideoque talem tumorem comprimere, cerebri partem jam antea laesam, imbecillam et exulceratam male haberet, pus includeret et co-

hiberet, et intus in cerebri sanas partes impelleret; eoque fere pariter laederet atque ictus, qui malum genuerat, iteratus. Quandocunque vero, quod saepius accidit, signa infelicia quae in Hilliano exemplo contigerunt, Herniae Cerebri desunt, tantula compressio tumori admota, quantula, ne amplius increscat, impediret, vice calvariae et durae matris perfungendo, reditum partis extrusae adjuvabit; non simul tanta, ut, toto cerebro oppresso, solita mala inde orta accederent.

Ubicunque compressio progignit mala, qualia in exemplo Hilliano memorantur, ad easdem causas, me judice, haec referri possunt. Hujusmodi sunt exempla novissime * citata; quorum priori aeger, elapso mense, periit; alteri sex mensibus ex ictu recepto. Utriusque, cerebro patefacto cavum amplum inesse repertum est, humore implente factum; qui effugere non potuit, hiatu calvariae per tumorem, et pressuram adhibitam obturato.

---

* Vide " Sculteti armamentarium chirurgicum, Ob. XIX." et " London Medical Journal, Vol. X. p. 277."

In hujusmodi exemplis, compressio sine dubio nocere potest, pus, quod ejici oportet, includendo et coërcendo. Hoc vero concesso, non tamen ideo compressio saepius minus utilis habenda; exulceratio enim adventitia est, neque aliqua necessitate huic tumori accedit. Quando pus deest, vel, si adsit, ubertim effluit ad latera tumoris, comprimere licet: in secundo exemplo Doctoris Vose, plurimum puris e lateribus tumoris profluxit, eo ipso tempore quo pressura admota maxime tumorem repelleret.

Quoniam judicare licet cerebrum *semper* accurate implere cavum calvariae, compressioni objici posse videretur, quod pars extrusa est aliena et extranea, ideoque omnes conatus editos ad extraneam naturam vi intus impellendam, necesse est eventum pessimum habeant. Nihilo secius tamen inducor ut hanc curationem his objiciendis praeponerem, etiam ratiocinationi soli *a priori* confisus, etiamsi experientia, documentum lucidissimum, non eandem tutam et utilem indicasset. Ni fallor enim, perhibere licet naturam prorsus alienam, fabricae mollis, et cerebro

similis sine ulla pernicie intra calvariam immitti posse, ea tarda et levi pressura facta, qualem linamenta et strupi emplastro resinoso illiti, imposita efficere solent; dummodo inflammatio praecaveri possit. Hujus rei scripta de medicina *chirurgica* documenta amplissima praebent *. Praeterea, usus fere quotidianus ostendens salutem receptam ex *apoplexia*, et calvariam depressam vel *exostosi* tumentem, nullo fere incommodo consequente, clare demonstrat cerebrum, nisi inflammatio praesens idem facilius laesu et irritabilius redderet, impune pressuram sensim auctam subire, quasi consuefactum †. Hinc vix equidem haeremus statuere, etiamsi alia documenta deessent, partem ipsius cerebri, in cavum calvariae impune reduci posse; scilicet, cerebro toto non inde oppresso, et vix metuendas esse eam irritationem et inflammationem, quae proficiscantur e natura aliena non vasis cum cerebro commissa.

---

* Vide "Memoires de L'Academie Royale de Chirurgie."

† Evolve opera Morgagni, Hill, Abernethy, et Joannis Bell.

Compressionem vero idoneam arguit non minus ratiocinatio e mali *phoenomenis* deducta, quam ipsa experientia. Omissa omni disputatione de mutata ratione actionis vasorum partis protrusae, nihil tamen dubitandum, quin malum e partibus, quae cerebrum fulciunt et sustinent, ademptis, proveniat. Hinc sequitur, auxilium simplex et naturae conveniens, illud esse quod, cerebrum sustinendo, idem amplius protrudi vetet, et, si fieri potest, faciat ut pars antea protrusa relabatur. Haec clare deducenda esse, pauci, ut credo, agnoscere nolent; neque minus manifestum est, consilium ita deductum optime linamento et strupis emplastro resinoso illitis, impositis esse exequendum: quae enim non solum juvant, ascensui tumoris repugnando, sed efficiendo ut magna pars tumoris sensim prius labefieret suppurans et separata, quam compressa intra marginem calvariae reducatur. Naturam suggerere tumoris compressionem docent etiam rationes, quibus ea sola utitur ad malum sanandum, in Hernia Cerebri. Quando, integumenta sanescentia tumorem operiunt,

aliquando hunc exiguum repellunt, ampliorem strangulant, eoque faciunt ut tumor suppuret, et carptim delabatur *. Porro, in Hernia Cerebri infantium jam natorum ante dicta, integumenta renitentia incremento tumoris, et postea ossa calvariae penitus indurata interdum morbi sanationem perficiunt. In plerisque talibus exemplis, Trew et Le Dran hanc operam naturae juvarunt tumorem comprimendo, penicillis amplioribus alcohole madefactis et pileo imposito retentis; quae diu adhibuere.

At vero requiri potest, quibus legibus compressio, quam praecepimus, regenda est? Hae plerumque deriventur statu cerebri, quod ad inflammationem attinet, et mole tumoris, prout minor aut amplior sit.

Ubi inflammatio acris ascensum tumoris comitatur, (id quod evenit in exemplo a Joanne Bell memorato), compressio vehemens tumoris nocitura esse videatur; si vero inflam-

* Vide Exemplum hujusmodi apud Medical Commentaries, Vol. I. a Doctore M'Lagan traditum.

matio levior sit, quod pressurae objiciatur, minoris aestimandum est quam aliquis primo judicaret. In priore ex exemplis quae Doctor Vose praebuit, compressio tumoris nihil mali induxit, etiamsi signa munera cerebri insigniter turbari docuerunt, ea curatione primo admota : et sane ineunte Hernia Cerebri, pressura videtur potius impedire ne plus cerebri extrudatur, quam totum cerebrum afficere. Porro, verisimile est, compressionem levem, vasa prolapsae partis fulciendo, efficere posse, ut vasa facilius coarctentur, et molem naturalem recipiant; eoque cursui inflammationis repugnare, non favere. Jam antea docuimus exulcerationem praesentem non, quo minus tumor arte comprimatur, vetare oportere, modo liber exitus puri concedatur.

Res ultima, quod hanc curationem temperari desiderat, est ratio tumoris magnitudinis, eo tempore quo curatio agitanda est et suscipienda. Ratiocinatio rebus ipsis deducta, qua ratione argumentum tractandi uti solemus, nos ducit ut statuamus, compressionem, qua opus

est ad Herniam Cerebri repellendam, pro mole tumoris, majorem aut leviorem, imponendam. Jam ineunte tumoris ascensu, quando verisimile est inflammationem maxime ardere, compressio levissima satis efficax esse videtur. Hey * qui hallucinatus invicem confudit Herniam Cerebri sani simplicem et Fungum istum malignum adeo clare suis signis notatum, a compressione utenda abhorret; et opinatur se feliciter bis malum curasse, tumoribus non nisi linamento obtectis. Pari ratione Fabricius Hildanus malum, quod ab ipso Fungus vocatur, ad sanitatem perductum esse, existimat, vi medica quarundam plantarum; asserit autem se etiam emplastrum imposuisse. Vix dubitari potest, quin exilis ista compressio linamento exorta, in exemplis mali, quod curavit Hey, et emplastro facta, in eo, quod narravit Fabricius Hildanus, salutem reduxerit: consilium enim exequendum, ineunte Hernia Cerebri, pariter atque in exemplo a Marechal edito, jam citato, (vide

* Vide "Practical observations in Surgery by William Hey, F. R. S, &c. 1810." P. 12 et 14.

Annotationem [c]) non tumorem intus in cavum calvariae repellere, sed solum cerebrum fulcire, eoque, ne tumor amplius emineret, impedire; donec cicatrices praegressae, tardius sed valido profectu, id moliantur, quod ars faceret in exemplis mali provectioris, in quibus, solummodo tumoris ortui reniti, non satis valet. Hernia Cerebri enim jam provecta et ad finem contendente, quando tumor amplior latius per integumenta dispergitur, opus esse videtur compressione valida et perite temperata uti. Compressio apud posterius e Vosianis exemplis tentata nil tumoris incremento restitit, donec aequaliter et fortiter admota fuerit.

Quod ad curationem ipsius tumoris, in Hernia cerebri, nulla auxilia, praeter supra enarrata, exquisita sunt, si excipias *Styptica*. Exemplum ab Hildano, et aliud ab Hill prolata, quibus haec eventu infelici imposita sunt, vetant, quo minus in omni casu admoveantur. Aqua salibus astringendo idoneis saturata manans per latera tumoris, petiisse videtur spatium inter cerebrum sanum et membranas. In duobus ex-

emplis, apud Valetudinaria Guidianum et Sancti Thomae Londinensia, tumores continuo linteis *aqua calcis* imbutis madefacti sunt. Hoc auxilium astringens efficere videbatur, ut compressio magis juvaret, et ad tumorem repellendum valeret.

Quoniam perhibuimus cerebrum plerisque Herniae Cerebri exemplis inflammari, manifestum est acerrime utendum esse remediis quae *regimen antiphlogisticum* constituunt: asserere licet mittere sanguinem, incisa vena, potissimum opus esse; quippe quo remedio vasa partis distenta depleri possint, et actio caeterorum vicinorum sedetur.

Infelicissima res omnium, quae evenire possint inter horum malorum cursum est irritatio, quibuscunque noxis orta, animae fistularum: tussis inde nata mirum in modum tumoris incrementum promovet, et signa inflammationis praesentis intendit. Exemplum notatu dignissimum editur cerebri vehementer tussiendo protrusi apud "Edinburgh Medical Essays*." Puel-

* Vide Vol. II. Art. 12.

lae, cui caput graviter contuderant testulae lapsae, ossa parietis et frontis inde adeo late scissa sunt, et dein toties perterebrata, ut hiatus amplissimus relinqueretur, ossibus ita sublatis. Dura mater integra superfuit. Victu parciore et tenuiore adhibito, binis mensibus eo usque aegra ad salutem perrexerat, ut integumenta laesa cicatricibus obducerentur. Die v, post ictum, linamenta vulneri imposita tabula plumbea obtecta sunt, strupis linteis mento et occipiti subjectis firmata. Haec tabula quinque menses retenta est; quibus elapsis, aegra impavida periculi eandem exuit: bene se habuit inde plures menses. Postea *Pertussi* torqueri coepit; qua laborans, nocte quadam adeo vehementer tussivit, ut cicatrices dirumperentur, et inde cerebrum per integumenta extruderetur. Circiter unciae duae ipsius cerebri ex integumentis detergendo remotae sunt. Tunc linamenta et tabula plumbea imposita sunt, ne plus cerebri effundatur; quinque diebus peractis, aegra obiit. Resolutio artuum, stupor, et fluxus urinae sine voluntate fatum antecesserunt. Ex hoc exem-

plo, quod lucidissime indicat eam vim, qua gaudet circuitus sanguinis turbatus, cerebrum extrudendi, docemur, spiritus conditionem acerrimam observationem desiderare ; et apprime necessarium esse cerebrum fulcire rationibus, quales supra memoravimus, post singulas *operationes*, quas calvaria subit. Neque enim dura mater, neque cicatrices integumentorum perfectae, neque utraeque, uti exempla supra proposita docent, satis repugnare possunt proclivitati ad ascensum tumoris, ubi calvaria divulsa est.

Nunc tandem orationem absolvi de iis, quae, "QUIBUSDAM CEREBRI TUMORIBUS" inquisitis, didicerim. Quae deducenda e rebus ipsis perpensis conatus sim illustrare et stabilire, si vera sint, necesse est, gravissimi sint momenti. Quamdiu homines variis istis casibus, quibus vita humana patet, subjiciuntur, capitis injuriae ex ictibus amplissimum habebunt locum in scriptis *chirurgorum*. In hoc genere, cerebri tumores, qui vel directe vel indirecte has injurias sequuntur, praelucebunt, et summum studium desiderabunt. Hos vero nondum idonea diligentia indaga-

tos esse, confido ea, quae supra conscripsi, luculenter monstrasse. Si quid ex his medicorum observationem mereatur, id certe est quod protulerim, ad edocendum, sub iis vocibus *Hernia* et *Fungus Cerebri*, invicem confusa esse saltem ea genera tumorum cerebri, quae his nominibus proprie designantur; ideoque istas voces non amplius ea hucusque solita ratione utendas esse. Si quando id vocabulum *Fungus* rite adhibeatur, aptissimum videtur eo malum a Carolo Bell descriptum designare; nequaquam malo, quod Abernethy testatus est, accommodatur. Pariter alienum foret, intestino aut omento extruso, id malum, *Fungum Intestini;* aut, pulmone e pectore vulnerato protruso, id *Fungum Pulmonis* appellare, atque eidem malo cerebrum sanum male habenti idem nomen imponere: eo que magis, quod cerebrum fortasse in hoc tumore multo minus fabricam et speciem mutatur, quam viscera, quae mox retuli. Si morbis nomina imponenda sunt, ex eorum natura et ratione consideratis deducta, hae voces *Prolapsus*, *Protrusio* aut *Hernia Cerebri* rite tumori cerebri ipsius parte confecto adhi-

beantur. Nulli profecto ex his vocibus tumor, quem Abernethy curavit, aliqua ex parte convenit. Nomen quod saepe imponere ausus sum inter hanc disputationem, scilicet, *Tumor ex Haemorrhagia Cerebri,* minime omnium, quod scio, rejiciendum est.

Quoniam hanc partem medicinae *chirurgicae* adhuc medici immerito neglexerunt, mihi magnae felicitati erit, si quid in hac disputatione editum vel unicam mentem studio humano generi proficiendi flagrantem, ad hoc argumentum utilissimum prosequendum impelleret. Sperare licet, nexum istum consideranti, quo naturae operationes, alia cum alia, committuntur, unius rei inventionem viam patefacturam esse, qua multae aliae explorentur ; et mentem, quae semitam veram solum excogitaverit, non frustra neque prorsus sine sperato fructu inquisituram esse.

ADJICIENDA.

Louis, apud "Memoires de L'Acade-
"mie Royale de Chirurgie," quaedam disseruit de morbo durae matris, qui, ut alter cerebro incumbens, Fungus fuit nominatus. Voces eaedem malis inter se diversis appositae, haec invicem cognata esse facile menti persuadent: talem equidem opinionem, quamvis falsam, invaluisse hinc patet, quod Louis monstrare conatur peritissimos *chirurgos*, apud Gallos et Germanos, hos duos morbos penitus confudisse. Neque sane mirandum est, vel artis medicae expertos, singularum rerum minutiorum negligentes, quas aliquis studiosus hos proprie discernendi inter se perspiceret, hic errasse; et duos morbos alterum cum altero miscuisse, qui rarius inveniuntur, et pleraque inter se signa communia, habent. Quoniam vero longe discrepant inter se me-

dendi rationem; et salus aegrotantis auxilii idoneis tempestive adhibitis nititur, eo majoris interest tam claris notis eos invicem dignoscere, ut medico satis dijudicandum sit.

Hinc inducor, ut secutura subjicerem de Fungi Durae Matris natura, et iis quae eundem a Fungo Cerebri discernerent. Quinetiam, nonnullis videatur me debuisse amplius de Fungo Cerebri disputare: quoniam vero jamjam clare ostendi, quousque hic morbus ab Hernia Cerebri discrepat; et quia Carolus Bell nulla enarravit exempla; et mihimet proposui nil tentare, cui deessent ea, quae ab experientia ducuntur, hinc nolui aliqua conjicere super hac re; et satius esse duxi, quae sequuntur, proponere.

E commentario Louis, ille vir ingeniosus Joannes Bell duxisse videtur, quae de origine morbi durae matris sentiat. Opinatur, duram matrem, quandocunque calvariae dissociata est gravi impetu, aut hujus carie, vel ictum illatum, vel tardius et sponte morbum praegressum sequente, et illius membranae jam disjunctae superficies sanitatem recepit, neque vero iterum

calvariae adhaesit, propensam fieri ut inde tumores verrucis aut fungis similes habeat: qui facti, premendo faciem interiorem calvariae, efficiunt ut haec partim absorbeatur, et carie resolvatur *. Simul atque, calvaria ita dissoluta, tumori extrorsum prominere licet, idem assurgit, et, ubi os deficit, extruditur. Nunc tandem tumor spongiosus integumentis velatus, aliquantum durus et prementi cedens, pulsum edere sentitur; qui pulsui cordis et arteriarum, iisdem intervallis, congruens, plane cerebri motu infra tumorem enascitur. Aeger initio multo minus, quam quod expectare liceret, torquetur: leviora mala generis nervosi, dum caries progreditur, adoriri solent. Tumor autem, inter prominendum, parum doloris facessit; ubi vero magnopere increverit, et ejus ima pars scabro margine ossis cariosi strangulatur, sequuntur dolores acerbissimi, turbae graves mentis functionum, nervorum distentiones, &c. Omnes rationes adhibitae ad incrementum tumoris cohibendum,

* Principles of Surgery, Vol. II. p. 400.

aut signa vehementia sedanda, semper aegrotantis spes fefellerunt, aut aerumnas auxerunt. Compressio levis interdum dolorem lenivit, et tumorem externum contraxit: hanc vero curationem stupor adeo periculosus excipere consuevit, ut aeger maluerit dolores perferre, quam tali ratione expediri. Quandocunque incremento tumoris occursum est, exurendo, ligando aut secando, mors subita nunquam non fuit secuta. Curante medico morbi naturae fere ignaro, istis remediis ad fatum praeceps et maturius ferri solet aeger; iniens enim adeo insidiatur hic morbus, tarde obrepens, et fere doloris expers, ut pariter ipse curans et aeger eundem jam primo prodeuntem, minoris aestimandum, et facile manus opere sanandum, judicarent. Quando malum, nulla arte admota, cursum naturalem confecit, aeger plures menses, imo interdum annos, vixit: interdum, sed raro obiit tranquillus; sed multo saepius fatum antecessere animae defectiones, distentiones nervorum, stupor, et excernendorum profusio citra voluntatem.

Haec brevis descriptio Fungi durae matris satis edocet, pleraque ejusdem signa simillima esse quibusdam Fungi Cerebri propriis. Utrique subest tumor pulsum edens, omnibus auxiliis adhuc admotis insanabilis, et eo graviora indicia exhibens, quo magis amplietur. Hi morbi signa inter se communia habentes, et rariores (unde paucae occasiones oblatae sunt utriusque proprietates cognoscendi) complures *chirurgos* fefellerunt; qui scribendo recensuere uti exempla utriusque, mala, quae inquisitio acrior docet, longe ab iis aliena fuisse, pro quibus aestimata sunt. Imo etiam Louis ipse, qui, illis "Tumeurs fongueuses de la dure mere" accurate indagatis, summas meretur laudes, non, uti opinor, recte aut exacte depinxit eas proprias notas, quibus invicem hi morbi dignoscuntur. Opinatus malum, de quo commentatur, nunquam non ab origine durae matri soli incubuisse, facile sibi persuasit Fungum cerebri vix aliquid habere cum hoc commune, nulla difficultate, ab eo discernendum. Ambroise Parè scriptis mandavit, tumorem pulsum edentem

foeminae capiti insedisse. Signa enarrata similia sunt iis quae membranae tuberibus spongiosis contingunt. Hoc viro insigni adversante, tumor incisus est; et cerebrum protrusum fuisse dicitur. Aegrae mortuae cadaver secuere duo chirurgi, et Parè nunciarunt malum, quo foemina laboraverat, Herniam Cerebri fuisse, calvaria simul ibi deficiente. Louis, agens de mali descriptione, quam Parè edidit, et studiosus comperiendi hoc Fungi durae matris exemplum existere, opinionem jam dictam respuit, testimonio, quo eadem nititur dubio existimato. Porro haec verba habet: " C'est une erreur ;" scilicet malum, de quo agitur Herniae Cerebri exemplum fuisse, " car le cerveau contenu par la dure-mere, et par le crâne ne peut franchir la rèsistance que ces parties lui opposent. Pour que le cerveau pût former une Hernie, il faudroit que l'os fût dètruit primitivement par quelque cause que ce fût; et qu'il y eût pareillement une solution de continuité à la dure-mere. L'expérience a montré en maintes occasions, que dans les plaies de tête, accompagnées d'une

grand déperdition de la calotte osseuse, il n'y a point eu de protubérance du cerveau, tantque la dure-mere a contenu ce viscere; et dans les cas mêmes où cette membrane a souffert déchirement ou incision *l'expansion de cerveau n'a eu lieu, que par une altération particuliere de sa propre substance* à la suite de sa lésion*."

Non opus sit hic loci inquirere necne verisimile sit, duos chirurgos, incisum et inspectum tumorem post mortem, pro Herniae Cerebri exemplo aestimasse, qui *sarcomatosum* communem referre comperiri solet, a cerebro molli et delicato fabricam alienus, quantum hoc efficere possent actio morbida, et pressura diuturna. Neque consilium est causas explorare istius insolitae hebetudinis, qua peritissimus inter omnes chirurgos, qui Galliam aut orbem terrarum tunc temporis illustrarunt, non satis eas rationes aestimavit, quas Louis opinatur eum illico docuisse oportere, quam absurdum et alienum esset, tam vagae inquisitioni confidere, et existimare ma-

* Memoires de L'Academie Royale de Chirurgie, Tom. X. p. 11.

lum, quod prosequor, Herniam Cerebri existere posse. Hoc lectori sagaciori expediendum relinquo; quasdam res in oratione jam citata memoratis nunc expositurus, quas animi intentione haud levi dignas esse judico.

Mihi satis liquet Louis, quando affirmat crebrum nunquam extrudi, nisi ejus fabrica proprie mutata, in istum errorem jam toties memoratum incidere, scilicet Herniam et Fungum Cerebri invicem confundere, quae mala insigniter inter se discrepare naturam, signa, medendi rationem, et ejusdem adhibitae effectum docent exempla proposita: rem profecto ita se habere clarius adhuc e proferendis patebit.

Porro, signum, cui maxime Louis ad discernendum fidit, quod si semper responderet, haec mala invicem dignoscere non profecto difficile foret, derivari videtur ex angusta et imperfecta scientia naturae et causarum tumorum variorum cerebri, et ea propria ratione, quam amplexus est, Fungi durae matris ortus, Calvariam plerumque vi aut arte divelli, et duram matrem laedi priusquam Fungus Cerebri accedat, nequeo

non concedere. Neque vero animo perpendere possum, hujus mali naturam, multa ejus exempla in scriptis medicorum reperienda, et pleraque ejus signa mali durae matris propriis simillima, quin statuam idem frequenter oriatur, et prodiret quasi tumor infra integumenta, calvaria non prius sublata nisi actione vasorum absorbentum, praesentibus quodam morbo et pressu.

Imprimis, ostendere conabor sententias, quas complexi sunt Louis et Joannes Bell, de Fungi Durae Matris natura fere contrarias esse verae signorum rationi, qualia in plerisque ejus exemplis, quae traduntur, reperta sunt. Deinde, pauca disserenda erunt de causa magnopere utriusque morbi ortui favente ; et eandem cerebro affuturam esse, quam verisimile est considerandum ; causam, quae polliceri videtur integram resolutionem quarundum quaestionum inter hos morbos agitandos occurrentium.

I. Dominus Louis opinatur morbum, cui nomen Fungus Durae Matris inditur, ejus membranae ab ipsa origine proprium esse ; et tumorem, paulatim increscendo et premendo, calva-

riam incumbentem labefacere. Joannes Bell hanc sententiam amplexus, morbum propositum dura matre e facie calvariae interiore divulsa enasci judicat; porro sentit sanationem hujus membranae antea plaga laesae, non simul se cum calvaria per vasa committentis, tuberum spongiosorum ortum antecedere et juvare. Sententiae in lucem editae, quibus hi tam eximii viri usi sunt, existimatione ingenio debita sunt excolendae: confitemur tamen nos non posse perspicere illud vinculum inter causam hic propositam et effectum intercedere, quod subesse oportere, considerantes ullam *Hypothesin* rejicimus aut complectimur, prout absit, aut inveniatur. Quod ad sententiam Joannis Bell, scire licet duram matrem necesse esse ictu, lapsu aut quovis alio casu, simul non operam conferente sanguine effuso interjecto, rarissime e facie calvariae interiore dissociari. Haec membrana adeo arcte adhaerescit calvariae, cui *periosteo* interiori existit, ut non statim ictu sejungatur, nisi vasa sanguinea laedantur, et sanguis intus profundatur; quae profusio cito propriis signis

indicetur. Exempla vero, quae Joannes Bell citavit, durae matris e calvaria separatae, non eas notas prae se tulisse videntur, unde illud statuere liceat *. Quinetiam, indicia morbi, quem prosequor, maxime notanda sunt, dolor nullus omnino praesens, neque cerebri functiones turbatae, donec tumor insigniter increscat. Dura mater, homine sano, sensu penitus vacat; at vero, adinstar aliarum istarum partium, quibus contingit exilior vis vitalis, haec morbida mirum in modum sentit; et quodcunque premendo inflammationem intendit, id verisimile est dolorem acerbum excitaturum esse. Hoc morbo igitur durae matris solius ab initio proprio existimato, calvaria incumbens tumoris incrementum impediendo, ea signa irritationis citura esse videatur: at vero per hujus morbi cursum, ab ictu primo illato, ad tumorem sub integumentis prodeuntem, nulla talia signa accedere solent. Interdum aeger ne quidem levissimam molestiam patitur; imo etiam, ubi tumor pulsum edere ob-

* Vide "Principles of Surgery," p. 398 ad 403.

servatur, pessimum signum, eundem tamen maxime omnium tumorum, quibus male haberi posset, innoxium esse credit, et remediis aut nullis utitur, aut qualia solummodo morbum levare, non sanare, valent. Dolor gravis aliaque signa infelicia non adoriri consuerunt, donec (uti supra dicti viri opinantur) cervix tumoris duro margine calvariae strangulatur. Insuper, signa cerebri oppressi absentia in hoc morbo difficultatem praebent; haec res enim nequaquam sententiae Domini Louis et Joannis Bell de morbi natura accommodari potest. In solitis injuriis, quas caput patitur, signa moestissima et simul clarissima cerebri oppressi, pus aut effusum sanguinem inter calvariam et duram matrem consequuntur: neque tam periculosa signa prorsus oriuntur ab ista incitata vasorum actione, quae sanguinem e vasis effusum aut pus secretum comitatur. Si enim materia aliena, quae cerebrum opprimit, celeriter tollatur, statim inde ejus munera integerrima fiunt et rite perficiuntur, id quod scripta Dominorum Abernethy et Hill clarissime docent. Si hic morbus

ab origine durae matri soli incumbit, nescio quae res ei inter progrediendum accedentia ita agant, ut cerébrum immune a pernicie servent, quae superventura esse videtur tumori ei membranae accrescenti et ex ea profecto, cujus ascensui calvaria obtegens fortissime obnititur. Contra tamen perhiberi potest, cerebrum, ut experientia fere quotidie ostendit, diu impune haud parum opprimi posse: hoc conceditur; at vero nonne quodammodo pendet ex omnibus iis partibus inflammationis alicujusve acuti mali puris, quarum munera ad cerebri salutem necessaria sunt? Pott aliique curatione forti et valida usi sunt, eo quod inflammationem durae matris instare metuerunt. Ille eximius chirurgus hanc semper valde metuisse videtur, et inde cura insolita ejus perniciosos effectus praecavisse. Quoniam ea actio, qua fiunt tumores, plerumque motu incitatiore vasorum ad eosdem pertinentium stipatur, expectare licet signa iis similia, quae durae matris aliquam inflammationem praedicant, ortui tumoris spongiosi ejus membranae accessura esse. Quum in plerisque exemplis hujus mali scriptis

mandatis, haec et supra memorata signa malorum durae matris propria, non inveniuntur, valde dubitandum est, necne morbus Fungus Durae Matris nominari solitus, plerumque sit tumor ex ea membrana exortus, qui calvariam premendo sensim labefacit. Sed quoniam signa supra relata (nimirum, dolor et turba cerebri functionum) quibusdam exemplorum ejus affuisse memorantur, est quare crederemus hujus morbi rationem antea prolatam interdum signis explicandis idoneam esse, qualia aliquando contingunt, ubi tumor est, et calvaria deficit.

Quae objecerim sententiae Dominorum Louis et Joannis Bell de natura plerorumque ejus mali exemplorum, quae, ut Fungi Durae Matris exempla, citarunt, sunt qualia mihi inter eorundem scripta legenda, occurrerunt: quae proposuerim valeant necne lector judicet, et quia hoc argumentum grave et utile est, sed minus ad meum propositum pertinet, idem amplius inquirere nolo; sperans lector pauca secutura penitus animo committeret; quae sane amplissime agitare vetant angusti, quibus contineor, limites.

1. Plerique tumorum, quorum Dominus Louis meminit, *sinubus venosis* cerebri impositi sunt; *nunquam vero ut credo, memoratur horum cava deleta esse.*

2. Quibusdam ex his tumoribus frusta ossea inhaerescere secando reperta sunt. Resne ita se habuisset, si calvaria ibi vasis absorbentibus sublata esset, propter tumorem comprimentem e dura matre sola exortum?

3. Inter omnia horum tumorum exempla tradita, haud ullus integumenta sustulisse et ita extrorsum prodiisse memoratur; etiamsi aegri saepe plures annos, tumore sub integumentis jacente, vixerint; et in multis aliis exemplis, tumor, calvaria, quae eum impedivit, tandem remota, multo minus inde increvit, quam alii tumores, caeteris paribus, maximeque quales *spongiosi* tumores vel *Fungi* nominantur.

4. Tumoris incrementum, quando percipi potest, dolorem et turbas generis nervosi semper maxime accedere notavi pro ratione irritationis inductae, et compressionis extrinsecae for-

te aut arte admotae. Quanti sit momenti quod jam nunc dixi, paulo post apparebit.

II. Quum tandem refellere conatus sim sententias hucusque acceptas de natura et prima sede morbi, qui Fungus Durae Matris vocatus est, proximum est paucis proponerem rationem, ut mihi saltem videtur, verisimiliorem hujus mali progressus et signorum; ad melius invicem discernendos durae matris et cerebri tumores.

Quantum *calvariae contusio*, aut aliquid ejusdem malum, efficiens ut os resorbeatur, ad morbum gignendum valeat, omni fere ex parte ei similem, qui hucusque Fungus Durae Matris appellatus est? Vel, partibus ita, ut jam proposui, existentibus (nimirum, calvariae ossea parte resorpta), *pericranio*, *tela cellulosa*, et dura matre, inter integumenta et tumorem cerebri *pulsatilem* interjectis et compressis, quae actio nova aliqua noxa excitante admota enatura esse videtur? Nonne experientiae consentaneum est expectare ea vasa, quae integra os secreverunt, sana sua actione nunc morbida mutata, insolitam incitationem habitura esse, et istam

